ea in judicio veniunt, quæ verborum generalitate continentur, ſi modo exceptum non ſit, *ex d. leg. ſolemus*, *leg. ultima*, *C. de annali except.* Si vero verbis ambiguis actor libellum concipiat, quod ipſi utilius fuerit, comprehenſum creditur, declaratione petita vel ab ipſo, vel a jure, *d. leg. ſi quis intentione* 66. cui conſonat textus *in leg. 3. tit.* 33. *part.* 7. cum enim verba accipienda ſint juxta mentem proferentis, *l. in ambiguis* 59. *ff. de R. J.* quid mirum ſi libellus ambiguus accipiatur ſecundum quod actori utilius eſt, præcipue cum intentione ambigua conſtet, quod de uno tantum ſenſit actor: at vero generalia verba non ita ad unum, vel alium reſtringuntur, ſed potius plura; & omnia ea, quæ ſervata verbi proprietate continentur, æqualiter veniunt in judicio, ita ut qui verbis generalibus libellum concepit, & nihil expreſſit, omnia in judicio deduxiſſe credatur. Unde cum in præſenti petitiones Canonicorum Sutrinenſium, & clericorum conventualium verbis generalibus conceptæ eſſent, clerici enim intendebant electionem celebratam infirmare, eo quod ipſis ſimul cum Canonicis jus eligendi competebat; Canonici vero electionem confirmari petebant, quia ipſi tantum jus ſuffragii præſtandi obtinebant, recte Innocentius decidit, tam poſſeſſorium, quam petitorium judicium terminari poſſe, quia in hujuſmodi libellis, *ex d. leg. ſolemus*, veniunt omnia, quæ excepta non ſunt. Nec huic doctrinæ obſtat textus *in leg. ædiles* 25. *§. item ſciendum*, *ff. de ædilit. edict.* ubi aperte affirmatur, id ſolum in judicio venire, de quo nominatim actum eſt, nam in eo textu agitur de rebus ſeparatis, quæ ante judicium acceptum, id eſt conteſtationem contingant, veluti de fructibus, & acceſſionibus jam perceptis ante conteſtationem, quæ a re petita valde differunt, *leg. in ædibus*, *§. 1. ff. de donat.* junctis traditis a Pinello *in l. 2. p. 2. c. 4. n.* 13. *C. de reſcind. vendit.* Unde licet fructus pendentes, & qui poſt judicium acceptum percipiuntur; petita re principali veniant, *leg. fructus* 44. *ff. de R. V.* Covar. *lib. 1. var. c.* 15. *n.* 18. Gomez *in l.* 40. *Tauri*, *n.* 7. Petrus Barboſa *in leg. divortio* 8. *p. 2. a n.* 80. *ff. ſolut. matrim.* non tamen ita qui antea percepti erant, quia neque rei nomine, neque verbis continentur. Arias de Meſa *l. 3. var. c.* 15. *n.* 18.

6 j *Statuta canonica.*) *Capite* 1. *&* 2. 63. *diſt. capite cum terra* 14. *c. cum inter* 18. *c. cum in Eccleſia* 31. *c. quia propter* 42. *de elect.* licet retro, & ſequentibus ſæculis aliud obſervatum legamus, ut tradita temporum diſtinctione docent Michael Rouſſel. *l. 2. hiſt. Pontif. juriſd. c.* 5. 6. *&* 7. Barboſa *de poteſt. Epiſc.* 1. *p. tit.* 1. *c.* 3. Zipæus *de elect.* Julius Lavorus *eod. tr. c.* 15. & nos nonnulla adduximus *in c. 2. de elect.*

7 k *De conſuetudine.*) Quæ cum potius præter canones, quam contra eos ſit, ſiquidem olim ad canonicos Eccleſiæ Cathedralis, & ſimul ad clericos & religioſos propriæ civitatis electio Epiſcopi ſpectabat, *c. obeuntibus*, 63. *diſt.* P. Greg. *de elect. c.* 6. *n.* 1. Barboſ. *d. c.* 3. *n.* 10. ideo hujuſmodi conſuetudo ut rationabilis, & legitime præſcripta ſuſtinetur, ut jam docuit Pacius *cent.* 10. *q.* 96.

8 l *Propter brevitatem temporis.*) Imo & propter tituli defectum, qui deſideratur tam in uſucapione, quam in præſcriptione ordinaria, *l. Celſus* 27. *l. nunquam* 31. *ff. de uſucap. l. diutina*, *l. neque*, *Cod. de præſcript. longi tempor. c. ſi diligenti*, *de præſcript. c. dudum*, *de decimis*. Cui difficultati reſpondendum eſt, quod licet in uſucapione rerum corporalium titulus neceſſario exigatur; tamen in uſucapione impropria, ſeu præſcriptione incorporalium non deſideratur titulus, ſed ſufficit ut præſcribens, non vi, non clam, non precario eo jure uſus ſit, ſed perpetuo & jure proprio; quia tunc adverſarii patientia pro titulo habetur, *leg. ſi quis diuturno* 20. *ff. ſi ſervitus vindic. leg.* 1. *Cod. de ſervit.* Probant Fachineus *lib.* 8. *controv. c.* 22. Lyclama *libro ſecundo membran. eclog.* 6. M. Aurel. Galbanus *de uſucap. c.* 12. Alii laudati a D. Joſeph de Retes *ad legem Scribon. n.* 17. Nec contrarium probat textus *in l. ult. C. de præſcript. longi temp.* in illis verbis: *Eadem obſervando, & ſi res non ſoli ſint, ſed incorporales, quæ in jure conſiſtunt, veluti uſusfructus, & cetera ſervitutes*. Nam ea verba non ſunt referenda ad exequutionem tituli in utroque caſu æque neceſſarii, ſed ad principalem partem deciſionis, quando videlicet quis abſens, vel præſens dicatur, ut currat præſcriptio. D. Joſeph de Retes *ubi proxime*: unde in præſenti ſpecie cum clerici conventualium Eccleſiarum uſi fuiſſent jure eligendi Epiſcopum Sutrinum, non vi, non clam, aut precario, ſed exiſtimantes ad ipſos ſimul cum Canonicis Cathedralis Eccleſiæ electionem ſpectare, ſufficiebat patientia Canonicorum abſque alio titulo, ſi legitimum tempus ad præſcribendum elapſum eſſet: quod autem dicatur legitimum tempus, dicemus *in c. ſanctorum*, *de præſcript.* Præſenſit Vaſquez *de uſufr. c. 2. n.* 68.

m *Actore non probante.*) Juxta adducta *in c. 2. de libelli oblat.*

C A P U T IV.

Idem *Canonicis* a *Bethlehemitan.*

CUm ſuper electione Bethlehemitan. inter R. Subd. & P. Canonicum *b* Sepulchri Dominici nuper in noſtra præſentia quæſtio verteretur, utroque ſe pro electo gerente, cum primus etiam a v. f. n. *c* Patriarcha Hieroſolymitano fuerit confirmatus, alter vero favorem *d* Regum obtineret, eis dil. f. P. Baſilicæ XII. Apoſt. I. tit. S. Stephani in Cælio monte Presbyteros, & G. S. M. in Porticu Diac. Card. dedimus auditores, in quorum præſentia receptis utrimque teſtibus, & eorum depoſitionibus publicatis, quæ hinc inde allegata fuerunt, nobis, & fratribus noſtris retulerunt fideliter, & prudenter. Nos vero tam per relationes ipſorum Card. quam per geſta de cauſæ meritis ſufficienter inſtructi, communicato fratrum noſtrorum conſilio, jam dictum Subd. R. qui ſe probaverat per ſæcularem potentiam ſpoliatum, reſtituendum decrevimus juſtitia mediante. Verum quoniam tam poſſeſſorium, quam etiam petitorium deductum fuerat in judicium; & tam reſtitutionis, quam electionis quæſtio plenius agitata; & conſtitit nobis electionem utriuſque minus canonicam extitiſſe, cum judex, de *e* qua re cognoverit, etiam pronuntiare debeat, juxta canonicas ſanctiones utramque duximus ſententialiter irritandam. *f* Ceterum quoniam Vv. Canonicus Bethlehemit. fuit in jure confeſſus, quod pro præſtando alterius electioni conſenſu quingentor. Sarracenor. obligationem acceperat, & promiſſor, & promiſſum, & mediator extitit ſimoniacæ pravitatis, nos intelligentes contractum hujuſmodi continere ſimoniacam pravitatem, quam perſequi volumus, ut debemus, ipſum ab omni ordine clericali per definitivam ſententiam duximus, & ab omni officio, & beneficio eccleſiaſtico deponendum.

N O T Æ.

1 a BEthlehemitan.) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. & *in c. 2. de confeſſis*, ubi extat alia pars hujus epiſtolæ. Bethlehemitana inclyta quondam, nobiliſque civitas fuit, ad differentiam alterius civitatis Bethlehemitanæ Galliæ, in territorio Altiſſiodorenſi, de qua renatus Chopinus *de ſacra polit. l. 2. tit. 4. n.* 20 Sita eſt in clivo non multum eminenti, ſitu arcto, & oblongo, cujus longitudo ab Occidente in Orientem protenditur, diſtatque ab Hieroſolyma ſeptem circiter paſſuum millibus, multis illuſtrata myſteriis, multorumque virorum illuſtrium monumentis celebrata, ſed Chriſti præſertim natalibus nobilis: Davidis quoque ortu, & in Regem Iſrael unctione clara, ejuſdemque patria, atque urbs David inde appellata, necnon ſtellæ apparitione, ſeu Epiphaniæ, ac Magorum adoratione irradiata; ab Jeroſolymis oppidorum Judææ ſecunda, celebre in ſacris litteris nomen obtinuit; ut non immerito de ea Prudentius cecinerit hiſce carminibus:

O ſola magnarum urbium
Major Bethlehem, cui contigit
Ducem ſalutis cælitus
Incorporatum gignere.
Quem ſtella, quem ſolis rota
Vincit decore, ac lumine,
Veniſſe terris nuntiat
Cum carne terreſtri Deum.

Eccleſia Bethlehemitica fuit Canonicorum regularium uſque ad tempora Balduini primi Regis Latinorum in Jeruſalem. Rex vero propter loci dignitatem, & Dominicæ Reſurrectionis præexcellentiam, eam Cathedrali dignitate ſublimavit, conſtituens in ea Epiſcopum de mandato, & voluntate Paſchalis Papæ, qui Aſcalonem eidem immediate ſubjecit, ut referunt Joan. a Vitriaco *in hiſt. canonic. regul. c.* 57. Pennotus *l. 2. c. 41. n.* 4. Hodie vero incurſionibus Turcarum ruinoſa penitus & devaſtata, nullam urbis faciem retinet, ſed exiguum potius, & obſcuriſſimum refert pagum, ſeu vicum, omni prorſus nitore, & decore priſco denudatum, ut plura referens tradit Joan. Cotovicus *in itiner. Jeroſolym. c.* 5. *fol.* 238.

2 b *Sepulchri.*) Eccleſia ſancti Sepulchri non ſolum fuit collegium Canonicorum regularium, ſed & caput non exiguæ Congregationis, ut refert Pennotus *d. c. 41. nu.* 4. Ejus iconem tradit, & notis illuſtrat Joannes Cotovicus *ubi ſupra*, *num.* 4.

3 c. *Patriarcha.*) De hoc Patriarcha aliqua notavi *in c. 2. de clericis peregr.* Illud tamen addendum duxi, in Concilio Chalcedon. *action.* 7. ipſum fuiſſe Patriarchali dignitate decoratum: & licet nullæ fuiſſent a principio ei aſſignatæ Sedes, in quibus jus Metropoliticum exerceret, ſequentibus tamen ſæculis ei ſubjectæ fuerunt Bethlehemitica, Hebronenſis, & Lyndenſis, ut refert Carolus a S. Paulo *in notis Epiſc. pag.* 312. & cum ad ipſum tamquam Patriarcham ſpectaſſet ordinatio Epiſcoporum Palæſtinæ, ut probatur ex Evagrio *l. 2. c.* 5. dum ait Theodoſio in locum Juvenalis ab Hæreticis conſti-

conſtituto Epiſcopo, ad eum multos ex urbibus Palæſtinæ accedentes effeciſſe, ut ipſi ejus auctoritate deſignarentur Epiſcopi; inde electus in præſenti caſu in Epiſcopum Bethlemitanum, confirmationem a Patriarcha Jeroſolymitano petebat.

d *Regum.*) Jeruſalem, ubi tunc ſceptrum tenebat Guido VIII. ultimus Jeroſolym. Rex.

e *De qua re.*) Juxta legem *de qua re* 74. *ff. de judic.*

f *Ceterum.*) Verba hæc, quæ ſequuntur, extant *in c. 2. de confeſſis*, ubi ea exponemus.

C A P U T V.

Idem *Epiſcopo* a *Noviom.*

PAſtoralis officii debitum ſolicita mente proſequeris, cum juſtitiæ zelo ſuccenſus ſuper juris articulis per Ap. Sedis oraculum, a qua tuæ pendet juriſdictionis auctoritas, reſponſa humiliter appetis, & devotus expectas, ne forte nova opinionum varietas, aut juris exceptio varia *b* novitate diſtincta, non juris effectum pariat, ſed juſtitiæ potius defectum inducat. Sane, ſicut nobis per tuas litteras intimaſti, contingit aliquando, ut cum iis, qui ſe aſſerit ſpoliatum, ſuum trahit ſpoliatorem in cauſam, inter ipſa *c* juris auſpicia requiſitus, quo malit experiri judicio, litem proprietatis ingreditur, de illata ſibi violentia nullam faciens mentionem. Cum autem adeo fuerit in cauſa proceſſum; ut teſtes ſint hinc inde producti, novum judicium ſuper poſſeſſorio nititur inchoare, dicens quod non videtur poſſeſſorio renuntiare judicio, qui rem cœperit vindicare. Cui ex adverſo reſiſtitur, quia dum querelam proprietatis ſponte propoſuit, præjudicium ſibi fecit in quæſtione poſſeſſionis, quam ſecundum juris ordinem prius proponi licuit, & debuit terminari. Quid igitur in his ſtatuendum ſit, tua f. requiſivit. Nos autem conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod poſſeſſorio quidem judicio, quod de recuperanda, ſeu adipiſcenda poſſeſſione proponitur, antequam renuntiatum ſit, aut concluſum in proprietatis judicio primitus inſtituto, agi poteſt ab eo, qui rem cœperit vindicare, cum *d* legali ſit proviſione ſtatutum, eum qui fundum vindicavit ab eo, cum quo interdicto *unde vi* potuit experiri, pendente judicio interdictum poſſe nihilominus intentare, alii poſſeſſoriis judiciis in ſuo robore duraturis, quæ vindicationem dominii ſui natura præcedunt. Si vero *e* renunciatum fuerit, ſeu *f* concluſum, ut jam poſſit proprietatis cauſa definitivæ ſententiæ calculo terminari, ne lites litibus inculcentur, & via poſſit fraudibus aperiri, cauſa non deciſa, poſſeſſorio non erit utendum, niſi *g* judex, qui de cauſa cognoſcit, hoc ipſum ex juſta cauſa viderit expedire, puta cum ex *h* perſpicuis judiciis facile arguitur iniquitas invaſoris, & ſpoliato caſus, ſeu malitia probandi dominium ſubtraxerit facultatem. His igitur, & aliis cauſis inſpectis, quæ continent æquitatem, aut juſte moverunt animum judicantis, poſtquam etiam concluſum fuerit, poſſe agi poſſeſſorio judicio non negamus.

N O T Æ.

1 a NOviom.) Stephano videlicet, qui temporibus Innocentii III. Noviomenſem regebat Eccleſiam, de quo, & ipſius Eccleſiæ ſitu aliqua notavi *in c. mandato* 33. *de reſcriptis*; præſentem vero textum ita reſtituo ex tertia collectione, ubi *ſub hoc tit. c.* 2. refertur ab Ant. Auguſtino.

b *Varia novitate.*) Novitatis incommoda retuli *in c. cum cauſa*, *de conſuet.*

2 c *Juris auſpicia.*) Conſonat textus *in l. final. in princ. C. de codicil.* ibi: *Hujus juris auſpicia*. Licet ſi primam, præcipuamque ſignificationem quæramus, nihil aliud auſpicia ſignificent, quam ex ſuperſtitione Gentilium natam avium inſpectionem, qua indagabant, quid ex volatu earum & vocibus ſignificaretur, juxta Nonium Marcel. *lib. 3. de propriet. ſerm. c.* 5. & alios veteres ſcriptores congeſtos a Lipſio *in notis ad Tacitum*, *l. 3. annal.* in illis verbis: *Auſpicandi gratia thermas ingreſſum*. Henrico Boeclero *in tract. de auſpicio regio*, *cap.* 1. Tamen apud inferioris ſæculi ſcriptores pro exordio, & principio paſſim accipitur; unde in præſenti pro litis ſeu judicii exordio ſumitur, ut poſt Gloſſam notarunt Hoſtienſis, & Abbas.

d *Legali.*) *L. cum fundum*, *§. ult. ff. de vi & vi armat. l.* 12. *§. nihil commune*, *ff. de acquir. poſſeſſ.*

3 e *Renuntiatum fuerit*, *ſeu.*) Quæ verba noſter Innocentius accepit ex novella *de teſtibus*, *collat.* 7. *§. quia vero*. Renuntiatum autem cenſetur, quando expreſſe facta eſt renuntiatio a parte, quæ proteſtatur ſe ſuper poſſeſſione nolle litigare, neque inquietare in illa adverſarium; tunc enim ſi vult cauſæ poſſeſſoriæ cedere, non eſt cogenda ſuper illa litigare, *l. unic. C. ut nemo invitus*: vel ſi agens rei vindicatione dicat ſe petere rem, quam adverſarius juſte, vel injuſte poſſidet, ipſeque inſiſtat tantum in judicio poſſeſſorio. Unde quia inter litis anfractus multoties ad petitorium declinatur, quamvis merum poſſeſſorium intentatum ſit; ideo utiliſſimum eſt ab initio proteſtari, ſe nunquam velle recedere a poſſeſſorio per quamcumque allegationem, ut docent Poſthius *de manut. obſerv.* 19. *ex n.* 20. & *obſerv.* 57. *ex n.* 31. Barboſa *voto* 54. *a n.* 12. Iranzo *de proteſt. conſider.* 41. *per totam*.

4 f *Concluſum.*) Ne enim lites litibus implicentur, cumulatio impeditur poſt concluſionem; quod etiam ſuadetur ex eo, quod probationes dominii poſt concluſionem in cauſa rem notoriam faciunt. Gloſſa *verbo Liquere*, *in c. ſignificaverunt* 36. *de teſtibus*, pariaque ſunt ſententiam eſſe latam, vel eſſe concluſum in cauſa, *leg. ſi rem* 29. *§. final.* ubi Accurſius notat, *gloſſa ult. ff. de evict. l. quamvis* 19. *C. ad leg. Jul. de adult.* nihilque intereſt, an quis condemnandus veniat, vel ſit jam condemnationem paſſus, *l. qui pene* 8. *verſ. Divus ff. de manumiſſ.* probant & exponunt hanc exceptionem cumulationis utriuſque judicii *in d. l.* 12. *§. nihil commune*, Socinus *n.* 322. Alciatus *n.* 98. Jaſon *n.* 113. Immola *n.* 18. Romanus *n.* 25. Alexander *n.* 30. Ripa *n.* 48. Corraſius 2. *p. n.* 18. Menochius *de remed. adipiſc. remed.* 4. *n.* 527. Gilkenius *in d. l. edita*, *C. de edendo n.* 289. Nec in contrarium faciunt, quæ Aretinus *in d. §. nihil commune*, *n.* 12. conſiderat, nempe in ſupradicto caſu debere cumulationem admitti; quia multa movere poſſunt judicem, ut concluſionem in cauſa factam reſcindat, ut conſtat ex traditis a Doctoribus *in c. cum dilectus* 9. *de fide inſtrum.* Nec futura ſententia erit præjudicium aliquod allatura, dum appellatione interpoſita eliditur; *l. furti* 6. *§. 1. de his qui notantur infam. l.* 1. *§ final. ff. ad Turpyl. c. ſi a judice* 10. *de appell. in* 6. maxime cum in appellationis inſtantia, non refragante ſententia lata in petitorio judicium poſſeſſorium poſſit cumulari. *Clement. unic. de cauſ. poſſeſſ.* Non enim in contrarium ſupradicta faciunt; nam cauſa concluſa, regulariter nulla probatio admittitur, nec partes audiuntur, ut probat Parexa *de inſtrum. edit. tit. 6. reſol. 3. n.* 130. ideoque non debet attendi, an judex poſſit concluſionem reſcindere, ſicuti nec an lata ſententia appellatio interponatur, necne, quia licet appellatione interpoſita illum enervet, adhuc dubium eſt, an interponatur, unde de eo curandum non eſt, argumento legis *non quemadmodum* 35. *ff. de jud.* quin etſi certum eſſet, quod appellatio interponenda foret, adhuc contra ſupra tradita nihil Aretinus probaret, cum in appellationis inſtantia multa permittantur, quæ non conceduntur ante ſententiam poſt concluſionem in cauſa, *l. per hanc* 4. *Cod. de temp. appell. l. eos* 6. *§.* 1. *C. de appell.* Unde licet juxta dictam Clementinam in inſtantia appellationis admittatur poſſeſſorii, & petitorii cumulatio, non ex eo ſequitur, poſſe etiam admitti poſt cauſam concluſam; nam cum judex cognoſcat ex actis, Dominum eſſe reum, pro quo ſententiam proferre debet, non eſt cur poſſeſſionis quæſtionem admittat nullum commodum allaturam actori, cui manifeſtus tituli defectus obſtabat: hoc autem in cauſa appellationis ceſſat, in qua per appellationem ſopita ſententia, omnia iterum peraguntur; & ideo concurſus utriuſque judicii poteſt dari.

5 g *Judex qui de cauſa.*) Plerumque enim judices etiam inferiores a jure ſtatuta juſtis ex cauſis reſtringunt, ampliantque, ut *in c. Romana*, *c. oblatæ*, *de appell. c. paſtoralis*, *de except.* notavit Angujanus de legibus *lib. 2. controv.* 10. *n.* 14.

h *Perſpicuis judiciis.*) Quæ verba mutuatus eſt Innocentius *ex l. dolum*, *C. de dolo*, ubi pro *indiciis*, reponit *inſidiis* Cujacius *lib.* 11. *obſerv. c.* 11. ſed vulgatam lectionem retinet Hunnius *ad Treutl. volum. 1. diſp. 11. q.* 48.

C A P U T VI.

Idem a *Epiſcopo S. Andreæ*, *Abbati de Beroch*, *T. Priori*, *R. Archidiacono*, *& Magiſtro L. Officiali Sancti Andreæ.*

CUm dil. f. Abbas, & Canonici. *Et infra*: Ad quartum autem breviter reſpondemus, quod cum ſuper poſſeſſorio, & petitorio ſimul eſt actum, utrumque una debet ſententia terminari: ſed licet in pronuntiatione ſit poſſeſſio præmittenda, in executione tamen debet proprietas *b* prævalere.

NOTÆ.

a *Piſcopo.*) Ita reſtituenda eſt inſcriptio hujus textus ex tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. ubi ita habetur: eam autem expoſui *in c. cum dilectus, de arbitris*, ubi extat alia pars hujus Decretalis.

b *Prævalere.*) Unde licet pronuntietur ſimul ſuper poſſeſſione, & proprietate, non ideo poſſeſſori reſtituitur poſſeſſio, quæ ſtatim auferenda erat, ſed tantum declaratur ipſum in poſſeſſione fuiſſe, ſed ea privari propter defectum dominii: quare ridicula non eſt hæc ſententia, ut nimis impudenter more ſuo cenſuerunt Donellus *in l.* 3. *C. de interdictis*, Vinnius *lib.* 2. *ſelect. c.* 39.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio traditur, & probatur. CUm in his quinque deciſionibus agatur de cumulatione utriuſque judicii, tam poſſeſſorii quam petitorii, & quando ea in jure admittatur, atque judex ſuper utroque judicio, aut alterutro pronuntiare poſſit, ideo ſub unico commentario eas examinare duxi. Sit concluſio: „ Poteſt actor „ in judicio cumulare poſſeſſorium, & petitorium: imo etſi „ cœpit agere uno judicio, poteſt ante concluſionem in cauſa „ aliud intentare, & tunc una ſententia utrumque eſt terminandum, & poteſt ſuccumbere in uno, & obtinere in alio. „ Probant eam textus *in cap. cum veniſſent, de conſtit. c. ſignificaverunt* 36. *de teſtib. c. ſuborta* 21. *de re judic. c. ex conqueſtione* 10. *de reſtit. ſpol. c.* 2. *de capel. mon. Clement. unic. hoc tit. l. naturaliter* 12. §. *nihil commune, ff. de acquir. poſſeſſ. l. cum fundum* 18. §. *fin. ff. de vi & vi, l.* 6. *ff. de except. rei judic. novel.* 4. *c.* 2. Conſonant de juro regio lex 27. *tit.* 2. *part.* 3. lex 8. *tit.* 11. *lib.* 2. *recopil.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa *in collect. & collect.* Balboa, Garanna, Kling, & Fermoſino, Cujacius *in c.* 2. 5. *&* 6. *hoc tit.* Merillus *lib.* 2. *obſerv. c.* 18. Vinnius *lib.* 2. *ſelect. c.* 39. Bronchorſt. *cent.* 3. *aſſert.* 85. Giphanius *in l.* 1. *C. de ordin. judic.* Cujacius *l.* 20. *obſer. c.* 35. & *l.* 25. *c.* 34. & *in d. leg. cum fundum* 18. §. 1. Hothomannus *illuſtr. q.* 31. Noguerol. *alleg.* 25. *n.* 234. Giphanius *in l.* 3. *C. de interdictis*, Vultejus *de judic. lib.* 1. *c.* 2. Donellus *in l.* 3. *C. de interdict.* Ant. Mattheus *in collect. Pandect. collect.* 10. *ad l. ordinarii* 13. *C. de R. V.* Fachineus *lib.* 8. *controv. c.* 16. Goveanus *lib.* 1. *var. c.* 3. Alteſſera *hic.*

3 Impugnatur hæc aſſertio. Hæc aſſertio ita fulcita difficilis valde redditur ſequentibus ratiociniis; licet enim actiones diverſæ ejuſdem rei nomine competentes intentari poſſint, tamen in diverſis judiciis proponi debent, *l. quod* 9. §. 1. *ff. de tribut. l. cum filius* 26. §. *variis* 8. *ff. de legat.* 2. *l. plura* 53. *ff. de O. & A.* ſed pro poſſeſſione, & proprietate ejuſdem rei diverſæ actiones competunt; ſiquidem poſſeſſio nihil commune habet cum proprietate, *d. l. naturaliter*, §. 1. & ſunt res plane diſſimiles, *l. & an* 14. §. *ult. ff. de except. rei judic.* cum poſſeſſio ſit facti, dominium vero juris, *l.* 1. §. 3. *l. cum heredes* 23. *ff. de acquir. poſſeſſ.* ita etiam duas actiones non modo diſtinctas, ſed etiam inſociabiles pariunt, videlicet dominium parit rei vindicationem, *l. in rem* 23. *ff. de R. V.* §. 1. *Inſtit. de act.* poſſeſſio actionem in perſonam, ſeu in factum, *l.* 1. §. *penult. ff. de interdict.* Igitur diſtinctis judiciis hæc tractanda ſunt, cum actiones incompatibiles cumulari nunquam poſſint, *leg.* 1. *C. de furtis, l.* 16. *C. de inoffic. teſtam.* Faber *in ſuo Codice, tit. unde vi, definit.* 8. Qui enim propriam rem vindicare conatur, ſe dominum eſſe dicit, & adverſarium poſſeſſorem fatetur, *l. officium* 9. *ff. de R. V. l. unic. C. de alienat. jud. l.* 1. *C. ubi in rem actio*; ille vero qui interdicto *uti poſſidetis*, utitur, ſe poſſeſſorem dicit, & intendit, ne in poſſeſſione ſua turbetur, *l.* 1. *& per totum ff. uti poſſidetis.* Ergo cum rei vindicatio interdicto retinendæ adverſetur, & ſint contraria remedia, cumulari in uno, eodemque judicio nequeunt. Secundo adverſus eam, ubi aſſeritur, propoſito judicio poſſeſſorio, locum eſſe pœnitentiæ, & actorem intentare poſſe petitorium, obſtat juris illud certum principium, videlicet petitorem ſemel actionem propoſitam in judicio proſequi debere, *authent. qui ſemel, C. quomodo & quando*; notant Doctores *in leg. edita* 3. *C. de edendo.* Igitur poſſeſſorio judicio intentato, illud proſequendum eſt, non vero variare licet. Tertio adverſus eam partem ubi aſſerimus, judicem debere una ſententia utrumque judicium, tam poſſeſſorium, quam petitorium terminare, ita inſurgo: poſſeſſionis cauſa prius decidenda eſt, quam proprietatis quæſtio terminetur, & ea deciſa, dominii lis diſceptatur, *l. ordinarii* 13. *C. de R. V. l.* 3. *C. de interdictis, l. exitus* 35. *ff. de acquir. poſſeſſ. l. ult. ff. de quorum bonor.* ubi quæſtio proprietatis ideo dicitur ſecunda actio, & cauſa proprietatis per poſſeſſoriam præparatur, *l.* 1. *in fine, ff. de aqua quotid.* & ſi inverſo ordine judex procedat, ab eo recte appellatur, *l.* 1. *C. de appell.* imo ſi judex voluerit ſimul utramque cauſam terminare, res erit inexplicabilis, & judicium exitum non habebit, *l. exitus* 35. *ff. de acquir. poſſeſſ. l. inter* 62. *ff. de judic. l. liberi* 7. *ff. de liber. cauſa.* Quippe ſi unus obtineat in poſſeſſorio, ſuccumbat autem in petitorio, inutilis poſſeſſionis ſententia erit, cum ſtatim ea privetur: ſi autem obtineat in petitorio, condemnetur vero in poſſeſſorio, quis effectus? Ergo una ſententia utrumque judicium terminari non poteſt.

4 De poſſeſſorio, & petitorio. His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens aſſertio, pro cujus perfecta expoſitione ſciendum eſt, variis aliis judicii diviſionibus omiſſis, quas recenſent Maranta *in ſpeculo, diſt.* 7. Vultejus *lib.* 1. *de judic. cap.* 2. *per totum*, judicium dividi in petitorium, & poſſeſſorium, *cap. cum ſuper, cap. cum dilectus, hoc tit.* Petitorium illud dicitur, in quo principaliter de rei proprietate agitur, veluti ſi agatur rei vindicatione, *l. cum fundum* 18. §. *final. ff. de vi, & vi*: quæ petitio dicitur actio, *l. actio* 27. *ff. de O. & A. l. pecunia* 178. §. *petitionis, ff. de V. S.* vel publiciana in rem actione, *l. ſed & ſi res* 7. §. *publiciana, ff. de publiciana*; vel actionibus confeſſoria, & negatoria, de quibus *in* §. *æque, Inſtitut. de act.* vel hereditatis petitione, *l.* 1. *ff. de petit. hered.* Dixi *principaliter*, quia per conſequentiam in judicio petitorio venit etiam poſſeſſio, ut docet Hothomannus *illuſtr. qu.* 29. unde contingit, ut ſi actor de jure ſuo non doceat, reus ita abſolvatur, ut nulla amplius de poſſeſſione ſuperſit quæſtio, & viciſſim, niſi ab actore probata actionis ſuæ intentione, reus doceat, cur poſſeſſio ipſius ſit, eam actori reſtituere judex jubebit, *l. qui petitoria* 37. *ff. de judic.* Hinc petitorium abſorbere poſſeſſorium dicitur *in c. paſtoralis, hoc tit.* id eſt definita quæſtione dominii ſuper petitorio, cenſeri ſimul definitam poſſeſſionis quæſtionem, atque ideo tacite ineſt poſſeſſorium in petitorio, non tamen ita, ut dicatur utrumque concurrere judicium. Poſſeſſorium autem judicium eſt, in quo de ſola poſſeſſione agitur, vel adipiſcenda, vel retinenda, aut recuperanda, §. *ſequens, Inſtit. de interdict.* hocque judicium ſubdividitur in ſummarium, & plenarium: ſummarium, quod idem eſt ac ſummariiſſimum, eſt quando judex nulla mora interpoſita cognoſcit, uter ex contendentibus ſit in poſſeſſione, donec plenius de ipſa poſſeſſione diſceptetur, quod nos dicimus *inizio de interim, o tenuta*: & qui in poſſeſſione conſtituitur, non ideo poſſeſſor efficitur, quia aliud eſt in poſſeſſione eſſe, aliud poſſeſſorem eſſe, *l. ſi quis* 10. §. 1. *de acquir. poſſeſſ.* Plenarium eſt in quo de poſſeſſione plenius diſceptatur, ordine judiciorum obſervato, ut docet Menochius *de recup. in prælud. n.* 14. Poſthius *de manut. in princip.* Solorzanus *t.* 2. *lib.* 2. *cap.* 29. *in princip.*

5 De remediis poſſeſſoriis. Secundo pro plana utriuſque judicii, & poſſeſſorii & petitorii cognitione ſupponendum eſt cum Bologneto *in d. l. naturaliter*, §. *nihil commune*, tempore legis 12. Tabul. poſſeſſionis cauſam adeo incognitam fuiſſe, ut nullum ſpeciale remedium pro ea fuerit introductum, ſed qui rem aliquam ſibi deberi ajebat, cogitabat, an aliquam actionem ex contractu ſibi quæſitam haberet, vel an ad eum caſum cauſa ſua perveniſſet, ut ſibi poſſet competere indebiti condictio triticaria, aliave ſimilis, juxta tradita a Bartolo *in d. l. indebitum* 15. §. *ſed ſi nummi, de condict. indeb.* Quæ remedia ſub nomine reſtitutionis rei, non vero ſub nomine poſſeſſionis competebant: eis vero deficientibus, ut ſolebat plerumque evenire, nullum aliud ad rem conſequendam, quam vindicationis remedium manebat, quo ſatis litigatoribus conſultum non erat: tum quia rei vindicatione conventus in poſſeſſione uſque ad finem litis permanebat, *l. inter litigantes* 62. *de judic. l. is qui deſtinavit* 24. *de rei vindic.* tum etiam, quia rei vindicatio duo extrema neceſſaria habilia exigit, ex parte actoris dominium, *l. in rem* 23. *de rei vindic. l. ancillam* 9. *C. eodem, juncta l. dotis* 7. §. *ſi res, de jure dotium*, ex parte rei conventi poſſeſſionem, vel detentionem, *l. officium* 9. *l. qui petitorio* 37. *l. final. de rei vindic.* cumque dominii probatio difficillima ſit, *d. l. is qui deſtinavit, l. cum res* 12. *C. de probat.* late Maſchardus *de probat. concluſ.* 535. *volum.* 1. eveniebat, ut ſi verus dominus in probatione deficeret, inique rem ſuam amitteret, cum juxta præcepta juris, actore non probante, reus, etſi nihil præſtiterit, veniat abſolvendus, *l.* 2. *de probat. l. actor* 23. *C. eodem, l. qui accuſare* 4. *C. de edendo, l. finali, C. de rei vindic.* advertunt Cujacius *in d. l.* 2. Antonius Faber *tit.* 17. *c.* 3.

6 De origine interdictorum. Quapropter cum plura ſint poſſeſſionis commoda, *l. liberis* 7. *ff.* §. *fin. de liber. cauſa, c. fin. infra, hoc tit. d. l. fin. Cod. de rei vindic.* §. *retinendæ, verſ. Commodum, Inſtit. de interdictis, l.* 28. *tit.* 2. *partit.* 3. quæ refert Oroz *lib.* 4. *de apicibus, c.* 8. *&* 9. olim antequam actores cauſam in judicium deducerent, ut ab onere probandi ſe liberarent, qua poterant vi, dolo, fraude, quolibetve alio colore quæſito poſſeſſionem nanciſci curabant, ex quo jurgia, clamores, tumultus, injuriæ, vulnera, homicidia, rapinæ, & violentiæ ſequebantur, civeſque perpetuis diſſenſionibus fatigabantur, *l. ſi quis* 21. §. *in civilibus, de captivis*; & pax populi, quæ ſuprema Reipublicæ lex eſt, Cicerone teſte 3. *de legibus*, turbabatur: advertunt Bolognetus, *tit.* 54. *n.* 2. Petrus Gregorius *lib.* 21. *ſyntag. c.* 9. *n.* 3. cui malo ut obviam irent Prætores, ad quos dirimendarum litium cura ſpectat, *l. quidam* 21. *ff. ſi certum petatur, l.* 1. §. *inde quæritur, ff. de novi oper. nunc.* neve litigantes, quos ſua poſſunt juriſdictione componere, ad arma, & rixas procedant, *l. æquiſſimum* 14. *de uſufruct.* cœperunt ſuum officium, & auctoritatem interponere interdicta poſſeſſoria introducendo, *princip. Inſtit. de interdict.* ſic appellata, quaſi inter duos dicta, cum prætor ſtatuit, apud quem poſſeſſionem rei eſſe oporteat, donec pleniori judicio de jure proprietatis quæritur, §. *ſumma, Inſtit. de interdict.* ſive ab interim, quia ſententia in his caſibus non parit perpetuum præjudicium proprietatis, ſed poſſeſſionis momentum poſſeſſori tribuit, donec pleniori judicio de proprietate agatur, ut notavi *in cap.* 1. *verbo Momentum, hoc tit.* & docent alia circa interdicti etymon adducentes, Duarenus *lib.* 1. *diſp. c.* 19. Petrus Gregor. *lib.* 21. *ſyntag. cap.* 9. *num.* 3. Joan. Robertus *lib.* 3. *ſent. c.* 19. Alciatus *lib.* 3. *paradox. cap.* 5. Pancirola *lib.* 5. *var. c.* 34. Faber *in ration. ad l. ſi id quod, ff. de juriſdict.* Donellus, Cujacius, Giphanius, & Pereſius *ad tit. Cod. de interdictis*, Mindanus *de interdict. comment.* 1. *per tot.* Pet. Barboſa *in l. ſi de vi, n.* 7. *ff. de judic.* Treutlerus *vol.* 2. *diſp.* 25. *theſi* 9. *litt. A*, Pichardus *in* §. *in ſumma, num.* 179. *Inſtit. de act.* Verſantur autem hæc remedia poſſeſſoria circa veram poſſeſſionem, circa res temporales, quæ in commercio ſunt, *l. ſi ſervum* 43. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin. l.* 3. *in princip. ff. de acquir. poſſeſſ.* circa quaſi poſſeſſionem in rebus incorporalibus, quæ proprie non poſſidentur, ſed per uſum retinentur, *l.* 1. §. 1. *ff. de itinere, actuque*, ut jus eligendi, de quo in præſentibus deciſionibus agitur.

7 Interdictorū diviſio. Varias interdictorum diviſiones adducunt Paulus, & Ulpianus *in l.* 1. *&* 2. *ff. de interdictis*, Juſtinianus *in princ. Inſtit. eod. tit.* Mindanus *eod. tr.* 1. *par. comm.* 6. *per tot.* Treutl. *vol.* 2. *diſp.* 25. *theſi* 1. quibus omiſſis illa præſenti commentario, ubi de rebus corporalibus, aut incorporalibus intra commercium poſitis agitur, aptior eſt, quæ triplicia conſtituit interdicta, videlicet adipiſcendæ, recuperandæ, & retinendæ poſſeſſionis, *l.* 2. §. *hæc autem, ff. de interdict.* §. *ſequens, Inſtit. eod. tit.* Et licet Ripa *in d. l. naturaliter*, §. *nihil commune, n.* 2. Baldus *in c.* 1. §. *fin. de prohibit. feud. alien.* diminutam hanc deciſionem exiſtiment ex eo, quod aliud interdictum poſſeſſorium detur, quod ſervandæ poſſeſſionis cauſa comparatum eſt, competitque impuberi, cui quæſtio ſtatus, & hereditatis movetur, atque ex beneficio Carboniani quæſtio differtur in tempus pubertatis, mittiturque in poſſeſſionem, vel ſi poſſideat, prætor tuetur eum, *l.* 3. §. *miſſum, ff. de Carbon. edict.* ubi poſſeſſorem conſtituere exponit Accurſius, poſſeſſorem conſtitutum tueri, *l.* 1. *Cod. eod. tit.* Verius tamen eſt, interdictum conſervandæ ſub interdicto retinendæ comprehendi, ut conſtat *ex l.* 1. §. *& ut Pedius, ff. uti poſſidetis*: & ex eo, quod Prætor miſſum in poſſeſſionem ex edicto Carboniano ita tuetur, & conſervat ſicut ceteros omnes a ſe in poſſeſſionem miſſos, ex edicto *ne vis fiat ei*, de quo plura adduxi *cap.* 1. *de eo qui mittitur in poſſeſſ.* At interdictum hoc retinendæ poſſeſſionis eſt, ut probat Menochius *de retin. remed.* 1. *num.* 40. Igitur prædicta diviſione comprehenditur hoc remedium retinendæ, ſi jam adepta poſſeſſio eſt: & bonorum poſſeſſionem prætoriam ſpectant textus *in l. Divi fratres* 27. *ff. de liber. cauſa, l.* 2. §. 1. *ff. de colluſ. deteg. l. cum tabulis* 16. *ff. de his quæ ut indig. l.* 5. §. *ſi quis contra, ff. de legat. præſtand. l.* 1. §. *ſed ſi ex Carboniano, ff. ſi tabulæ teſtam. l.* 3. §. 1. *ff. de collat. bonorum, l.* 3. §. *illud, ff. de lib. agnoſc. l. id quod* 27. *ff. de teſtam. tutel. l.* 1. *C. ad leg. Cornel. de falſis, l.* 1. *C. de aliment. pupil. l. ſi in libertinum* 28. *l. filius* 42. §. *cum filius, de bonis libert. l.* 2. § *ſed ſi quis, ff. ad Tertyl. l.* 1. §. *generaliter, l.* 5. *l.* 7. §. 1. *ff. de ventre in poſſeſſ. l.* 7. *ff. ad aſſign. libert. l.* 1. §. *fin. de muner. & bonor.* Junctis traditis a Donello *l.* 7. *comment. c.* 15. Gentili *l.* 1. *de juriſd. c.* 23. Merillo *l.* 1. *obſerv. c.* 20.

8 De interdictis adipiſcendæ. Admiſſa igitur, & retenta prædicta diviſione interdicta adipiſcendæ dicuntur ea, quibus acquirimus poſſeſſionem rei, quam nunquam habuimus, *l.* 2. §. *adipiſcendæ, ff. de interdictis*, §. *adipiſcendæ, Inſtit. eod. tit.* veluti interdictum *quorum bonorum, quorum legatorum*, & Salvianum, ut docent ultra ordinarios *in d.* §. *adipiſcendæ*, Cujacius *l.* 5. *obſerv. c.* 24. Fachineus *l.* 8. *controv. c.* 92. Menochius *de adipiſc. remed.* 1. *&* 2. Donellus *l.* 15. *comment. cap.* 56. & *ad tit. Cod. quorum bonor.* Faber *l.* 2. *conject. c.* 2. Quorum bonorum interdictum a primis verbis edicti Prætoris ſic appellatur, ut obſervant Alciatus *l.* 2. *parerg. c.* 50. Balduinus *in* §. *ſequens, Inſtit. de interdict.* competitque heredi, ut quod de bonis hereditariis poſſidetur, illi reſtituatur, omnibus dilationibus amputatis, *l.* 1. *C. quorum bonor.* ubi verbum *reſtituas*, non ſignificat poſſeſſionem antea adeptam reddere, ſed potius eam, quam quis nunquam habuit, acquirere: Verbum enim *reſtituo*, aliquando id quod nobis nunc præſtatur, ſignificat, *leg. cum quid* 24. *ff. de legatis* 2. *l. verbum reddendi* 94. *ff. de V. S.* & ſicut adita hereditate heres non ideo aſſequitur poſſeſſionem bonorum hereditariorum, *l. cum heredes* 23. *de acquir. poſſeſſ.* ita bonorum poſſeſſor naturalem poſſeſſionem non acquirit, ſed jus obtinendi eam, & ſic ad nanciſcendam poſſeſſionem ab alio occupatam hoc interdicto utitur, quod licet ad univerſitatem bonorum, non vero ad res ſingulas competat, *l.* 1. §. 1. *ff. quorum bonor.* Menochius *de adipiſc. remed.* 1. *n.* 37. poteſt tamen etiam adverſus eum intendi, qui minimam rem hereditariam poſſidet, *l. hoc amplius* 29. *ff. de furtis*: ſic etiam in petitione hereditatis obſervatur, licet judicium illud univerſale ſit, *l. licet minimam, ff. de petit. heredit.* proſequuntur Donellus *d. c.* 36. Menochius, & Cujacius *ubi ſupra*, ubi exponunt textum *in l. fin. ff. quorum bon.* Sequitur interdictum, *quorum legatorum*, quod plures congeſti a Gomezio *in l.* 45. *Tauri, n.* 131. exiſtimarunt competere heredi contra omnes legatarios, quia propria auctoritate citra ejus voluntatem occuparunt res ſibi legatas. Sed verius eſt, illud interdictum tantum competere, quando locus eſt legi Falcidiæ, & legatarius occupavit rem ſibi legatam, *l. unic. C. quorum legat.* tenent Gomez *ubi ſupra, n.* 131. Menochius *de adipiſc. remed.* 7. Mindanus *de interdict. tit.* 17. Donellus *ubi ſupra, n.* 3. rationem reddit Cujacius *ad tit. C. quod legator.* & *leg.* 8. *obſerv. c.* 2. quia lex Falcidia ad detrahendam quartam non præſtitit heredi actionem, ſed tantum retentionem, ut ipſe probat *ex leg. pater* 14. *in princ. l. quod de bonis* 15. *leg. acceptio* 93. *ff. ad leg. Falcid.* ubi notarunt Gothofredus, & Cujacius *in novel.* 7. Sed ſi res legata non occupetur a legatario, ſed illi a teſtatore in vita tradatur, ut in ſpecie textus *in l. Lucius* 22. *ff. de legat.* 1. ceſſat hoc interdictum; & ſi locus eſt Falcidiæ, avocanda eſt poſſeſſio a legatario per contradictionem incerti, per quam repetimus rem indebite occupatam, *d. l. heres* 23. & ſi res individua ſit, vindicatur quarta pars, quæ ipſo jure decidit a rebus legatis, & remanet penes heredem, *l. lineam* 26. *leg. in quantitate* 75. *ff. ad leg. Falcid.* quibus jungendi ſunt textus *in l. penult. C. eod. tit. l. cum pater* 77. §. *mater*, & §. *Mævio, ff. de legat.* 2. ubi Cujacius *l.* 7. *reſponſ. Papin.* Valentia *de legatis c.* 3. *n.* 9. Juxta quem caſum, cum videlicet res tradita fuit ipſi legatario, ſeu donatario, accipiendus eſt textus *in l.* 1. §. *ſi quis ex mortis, ff. quod legatorum*, cujus explicationem proſequitur poſt Cujacium *l.* 10. *obſerv. c.* 28. D. Joſeph de Retes *de interdictis* 1. *par. n.* 24. ubi numeris ſequentibus alia plura adducit de hoc interdicto: circa quod obſervandi ſunt textus *in l.* 1. §. *ſi legatarius, ff. ad leg. Falcid. l.* 2. §. 3. *ff. de heredit. vel act.* Cajus *tit. de legatis*, §. 1. junctis traditis a Merillo *l.* 3. *var.* ex Cujacio *cap.* 18. Donellus *l.* 19. *cap. decimo tertio.* Cujacio *in l.* 1. *C. de pactis*, Chumacero *diſp.* 5. *n.* 16.

9 De Salviano interdicto. Etiam remedium adipiſcendæ poſſeſſionis eſt Salvianum interdictum, ita appellatum non a ſalvando, quaſi conſequuto pignore jus ſuum creditor ſalvum habeat, ut vult Jaſon *in* §. *item Serviana, n.* 18. *Inſtit. de actionib.* ſed potius a Salviano ſubtiliſſimo Juriſconſulto, *l. inter* 25. *C. de uſufructu*, & edicti perpetui conditore, *l.* 2. §. *ſi quid igitur, C. de veteri jure*, ut notavit Cujacius *ad tit. ff. ad Salvian. interdict.* & *ad tit. de conjungendis cum emanc.* & *lib.* 49. *ff. Juliani, in leg.* 1. *ff. de Salvian. interd.* Balduin. *in* §. *ſequens, nu.* 23. *de interdict.* ubi Pichardus *n.* 17. Menochius *de adipiſc. remed.* 3. Mindanus 2. *part. de interd. tit.* 18. *n.* 3. a quorum ſententia immerito diſcedunt Mendoza *de pactis l.* 2. *cap.* 4. *n.* 27. Theſaurus *dec.* 179. *in princip.* falſo exiſtimantes, Cajum, qui multo tempore Salvianum præceſſit, meminiſſe hujus edicti. Competit autem hoc interdictum domino fundi in res coloni, quas pro mercedibus fundi pignori obligavit, *leg.* 1. *ff. de Salviano*, §. *interdictum quoque, Inſtit. de interd.* docent Bartolus *in leg.* 1. *ff. de Salv.* Neguſant. *de pignor. membr.* 1. 8. *part. n.* 4. *&* 8. Menochius *de adipiſc. remed.* 14. Cujacius *ad tit. Cod. de precario*, Mindanus *d. tit.* 18. *n.* 3. Statilius Pacificus *de Salviano interd. p.* 1. *cap.* 1. Scapucinus *eod. tract. lib.* 1. *cap.* 2. *ex nu.* 4. Gaito *de credito, cap.* 4. *q.* 7. ubi animadvertunt, quod licet Salvianum interdictum pro rebus coloni fuerit introductum, ex identitate rationis extendi debet ad res in prædio urbano invectas; Imo & probari poteſt *ex l.* 2. §. *hæc autem, ff. de interdict. l.* 1. *Cod. de precario*, Paul. *lib.* 5. *ſentent. tit.* 6. §. *ult.* unde eam defendunt Pichardus *ubi ſupra*, Salgado *de regia protect.* 3. *part. cap.* 11. *ex n.* 46. licet contrarium defendant Sarmiento 3. *part. de reddit. cap.* 2. *ex nu.* 16. Theſaurus *dec.* 175. Faber *de error. decad.* 60. *error.* 5. unde agnoſcitur diſcrimen, quod verſatur inter actionem Servianam, interdictum de migrando, & hoc Salvianum; actio enim Serviana reſpicit proprietatem; interdictum hoc poſſeſſionem, ut notant Accurſius *verbo Competit, in d. l.* 1. *Cod. de precario*, Duarenus *ad tit. de Salviano interd.* Menochius *de adipiſc. d. remed.* 3. *n.* 5. Unde a ſententia lata in judicio actionis Servianæ recte appellatur, ſecus vero in Salviano judicio. Interdicto de migrando conſulitur inquilino, ſicut Salviano conductori, ut videlicet inquilinus ſoluta pecunia, vel alio modo ſatisfacta, juxta textum *in leg. acceptam* 19. *Cod. de uſuris*, poſſit migrare e domo, & ſua ſupellectilia aſportare, *l.* 1 §. 1. *ff. de migrando.* Inter remedia etiam poſſeſſoriæ adipiſcendæ recte enumeratur remedium legis ultimæ, *Cod. de edicto D. Adriani*, quod ex profeſſo expoſuerunt Cæſar Argellus *de miſſione in poſſeſſionem ex illo remedio*, D. Joannes de Larrea *dec. Granat.* 6. Carleval. 2. *tom. tit.* 3. *diſp.* 5. Olea *de ceſſ. jur. tit.* 6. *q.* 5. *n.* 17. Parlad. *l.* 2. *rer. quotid. c.* 2. & remedium textus *in l. creditor* 3. *Cod. de pign.*

10 De remediis recuperandæ, & retinendæ. Recuperandæ poſſeſſionis remedia ſunt interdictum *unde vi*, de quo plura adduxi *in cap.* 2. *de ordin. cognit. cap.* 1. *de reſtit. ſpol.* Secundo condictio indebiti, cum quis ignorans indebitum ullo jure ſolvit; tunc enim illi competit condictio indebiti, *l.* 1. *& per totum ff. de condit. indeb.* circa cujus explicationem plura cumularunt Duarenus, Donellus, & Andreas Claudius *ad ipſum tit.* Vinnius *lib.* 1. *ſelect. cap.* 47. Vitalis 2. *var. cap.* 22. Cheſius *interpret. cap.* 34. D. Joan. de Larrea *dec.* 85. *Granat.* Pinel. *lib.* 2. *ſelect. c.* 15. *n.* 4. Arias a Meſa *lib.* 1. *var. cap.* 47. Menchaca 3. *illuſtr. cap.* 93. Madera *animadv. c.* 13. Genoa *in conciliat. fol.* 215. *&* 218. *in parvis*, Medinilla *in Caſſ. & Procul. fol.* 7. Merillus *lib.* 3. *obſerv. cap.* 10. & *lib.* 1. *variant. ex Cujacio, c.* 20. Vveſembech. *diſp.* 10. *nu.* 18. Cujacius *l.* 4. *Cod. de pact. & l.* 10. *C. de cond. indeb.* & *ad tit. ff. de condict. ex leg.* & *lib.* 19. *reſponſ. Papin. in leg.* 5. *de cenſib.* & *lib.* 9. *qq. ejuſdem in l. rem* 78. *ff. de furtis*, & nos *in cap. fin. de ſolutionibus.* Tertium remedium eſt condictio triticaria, quæ competit ad repetendas res, quæ numero, pondere, aut menſura conſtant, *l.* 1. *& per tot. ff. de cond. tritic.* circa cujus explicationem videndi ſunt Cujacius *tr.* 2. *ad Afric. in l.* 23. *ff. de rebus creditis*, Pinellus *lib.* 2. *ſelect. cap.* 15. Merillus *l.* 1. *var. ex Cujacio, cap.* 22. Mancin. *lib.* 1. *genial. cap.* 37. & notandi ſunt textus *in l. tribus, ff. de uſufruct. earum rerum, l.* 3. *ff. de legat. l. cum quis* 22. *ff. de O. & A. l. mercis* 207. *de V. S.* & etiam remedia, de quibus *in leg. fine & Tritium* 2. *ff. de rebus creditis, l. ſi quis intentatam, l. fin. C. unde vi*: quæ proſequitur Menochius *de recup. remed.* 2.

11 De remediis retinendæ. Retinendæ poſſeſſionis interdictum pro conſervanda, & retinenda poſſeſſione competit contra quovis modo turbantem, & impedientem, quominus quis uti poſſit propria poſſeſſione, *d. l. nihil tam naturale*, §. *nihil commune, l.* 3. §. *hoc interdictum, ff. uti poſſidetis, l. unic. ff. utrubi*, §. *retinendæ, Inſt. de interd.* Paulus *lib.* 5. *ſent. tit.* 6. *in princip.* explicant Hothomanus

manus *lib. 7. obſerv. cap. 6.* Sarmiento *lib. 2. ſelect. cap. 13.* Duarenus *lib. 1. diſp. cap. 21.* Petrus Gregor. *lib. 21. ſyntagm. cap. 10.* Cujac. *lib. 5. obſerv. cap. 22.* Eguinarius *l. 6. man. tit. 17.* Fachineus *lib. 8. controv. cap. 14.* Donellus *in l. unic. Cod. uti poſſid.* & *l. 5. comment. cap. 32.* & nos plura dicemus *in c. licet, de probat.* Remedium hoc duplex eſt, nempe *uti poſſidetis*, pro rebus immobilibus, *l. 1. ff. utrobi*. Hoc dabatur ei, qui majori parte noviſſimi anni poſſederat; quod ad numerum dierum, & menſium, quibus annus conſtat, non eſt referendum, ſed ad poſſeſſionem potius adverſarii, ut ſufficiat diutius experientem poſſediſſe, quam adverſarium, *l. majorem 156. dig. de V. S.* illud vero olim competebat ei, qui tempore litis motæ poſſidebat, neque conſtituebat eum in poſſeſſione ille actus, qui occaſionem præbuit controverſiæ, *l. 1. §. hoc 7. dig. uti poſſidetis*: neque attendebatur jus, ſeu juſtitia poſſidendi, ſed tantum merum factum, ut dicemus *in d. cap. licet*: verum jam hodie utriuſque interdicti poteſtas a Juſtiniano exæquata eſt *in d. §. retinendæ*, ubi ſtatuit, ſufficere in utroque interdicto litis conteſtatæ tempore, nec vi, neque clam, nec precario quem ab adverſario poſſediſſe: docent Cujacius & Menoch. *ubi proxime*, Donellus *d. cap. 32.* Pichardus *in d. §. retinendæ, n. 22.*

12 *De aliis remedii retinendæ.* Sunt & retinendæ poſſeſſionis cauſa comparata interdicta de ſuperficiebus, de itinere, actuque privato, de aqua quotidiana, de rivis, de fonte, ut conſtat ex propriis titulis in Pandectis, & traditis a Menochio, Mindano, & Davide Argente *ubi ſupra*. Erat & olim aliud interdictum, quod in poſſeſſoriis quibuſdam judiciis, maxime in cauſis libertatis, locum habebat, eratque judicium præparatorium, quod interim dum proprietatis, vel poſſeſſionis cauſa terminabatur, competebat, illudque apud Romanos judicium vindiciarum dicebatur, de quo *in leg. 2. §. & cum placuiſſet*, ibi; *Vindicias filiæ ſuæ a ſe abdicaſſet*; *dig. de orig. juris*, de quo intelligendi ſunt textus *in l. ſi de via 7. dig. de aqua quotid. leg. liberis 7. §. ſi quis ex ſervitute, l. ſi cui 25. l. ordinata 44 dig. de liber. cauſ.* Habebatque locum, quando duo de poſſeſſione contendentes, alter alterum turbabat: quo in caſu ex judicis officio ſummarie cauſa diſcuſſa decerni ſolebat, quis defendendus eſſet in ea poſſeſſione, quam tempore litis motæ habebat. Plura congerunt de hujus judicii natura, & praxi Bolognetus *in d. leg. naturaliter, §. nihil commune, num. 442.* Eguinarius, Budæus, & Oroſius *in d. §. & cum placuiſſet*, Alex. ab Alex. *lib. 3. dier. genial. cap. 10.* Petr. Greg. *lib. 17. ſyntagm. cap. 20. n. 7.* Alciatus *lib. 1. parerg. cap. 9.* Raynaldus Corſius *lib. 2. indag. juris, cap. 7.* Revardus *ad leg. XII. Tabul. cap. 6.* Balduinus *ad leg. Romuli, cap. 45.* Menochius *de retin. remed. ultimo*, Fachineus *lib. 8. controv. cap. 15.* Covar. *cap. 17.* Cui remedio poſſeſſorio ſimile eſt illud, quod pro tenuta, ſeu actuali poſſeſſione rerum majoratus conſequenda ad exequutionem legis 45. Tauri conceditur, quod in prima inſtantia apud judices ſupremi Conſilii intra quinquaginta dies terminari debet, in gradu ſupplicationis intra quadraginta, & eo judicio finito olim cauſa remittebatur ad Regios Conventos quoad poſſeſſionem & proprietatem decidenda: hodie tamen non ſolum de tenuta, verum & de poſſeſſione cognoſcitur in ſupremo Senatu, & ſola proprietatis cauſa ad Cancellarias remittitur, *leg. 10. tit. 7. l. 5. recop.* quam ultra Matienzum, & Azevedum *ibi* illuſtrant Molina *de primog. c. 13.* Gomez *in d. l. 45. Tauri*, Paz *integro tractatu de tenuta*.

13 *De cumulatione utriuſque judicii.* His ſuppoſitis pro utriuſque judicii cognitione, tam poſſeſſorii, quam petitorii, ut propius accedamus ad præſentem aſſertionem, ſciendum eſt, apud juris utriuſque interpretes valde controverſum eſſe, an petitorium & poſſeſſorium judicium ſimul poſſint concurrere, & accumulari? In qua quæſtione tres fuerunt olim auctorum ſententiæ. Prima Joannis, & Azonis quos refert Bartolus *in d. l. 12. §. nihil commune, nu. 14.* & nervoſe defendunt Donellus *in l. 3. Cod. de interd.* Vultejus *l. 1. de judic. cap. 2.* qui aſſerunt judicium nullum poſſeſſorium concurrere poſſe cum petitorio, ſed prius de poſſeſſione, deinde de proprietate agendum eſſe *ex leg. ordinarii 13. C. de R. V. l. 3. C. de interd. l. fin. C. quorum bonor. l. ſi de vi 37. dig. de judic.* Secunda ſententia fuit Petri de Bellapertica, & Cini *in d. l. ordinarii*, qui affirmabant indiſtincte, omne poſſeſſorium cumulari poſſe cum petitorio, quia nihil reperitur ſtatutum, quod hujuſmodi concurſum impediat, cum nihil commune habeat proprietatis cum poſſeſſione, *d. l. naturaliter, §. nihil commune*, ubi ex ea ratione admittitur hujuſmodi concurſus; & *in l. cum fundum, in fine, verſ. Eum, dig. de vi, & vi, c. ſignificaverunt, de teſtibus, cap. cum veniſſent, de inſtit. Clement. unic. hoc tit. cap. querelam, de elect. cap. ſuborta, de re judic.* & paſſim *in tit. de reſtit. ſpol.* ubi ſunt plura decreta, in quibus cumulatur poſſeſſorium cum petitorio. Accedit etiam, quia hæc duo judicia ſunt diverſa, & non tendunt ad idem, ideoque cumulari poſſunt, ex ratione textus *in l. nemo 44. §. quoties, dig. de re judic.* denique quia concurſus impeditur, quando abſolutoria lata ſententia in uno parit exceptionem rei judicatæ in alio, *l. fundi 16. l. fundum 18. dig. de except.* ſed abſolutoria ſententia lata in poſſeſſorio non parit exceptionem in petitorio, *l. an eadem 23 §. fin. dig. de except. rei judic.* Igitur quia utriuſque judicii datur concurſus. Eos ſequitur Cujacius *l. 2. obſerv. cap. 35.* & *li. 7. cap. 38.* Tertia ſententia fuit Martini antiqui Gloſſatoris, diſtinguentis inter judicium poſſeſſorium adipiſcendæ, & recuperandæ poſſeſſionis, & inter judicium retinendæ: in primo caſu poſſeſſorii recuperandæ, aut adipiſcendæ cumulationem admitti, ex juribus pro ſecunda ſententia adductis: in ſecundo vero caſu cumulationi locum non eſſe, ex fundamentis primæ ſententiæ: quam opinionem expreſſe amplectitur Innoc. III. *in cap. paſtoralis, verſ. Conſultationi, hoc tit.* & eam defendunt Bartolus *in dict. §. nihil commune, num. 14.* ubi etiam Ripa, Bolognetus *nu. 63.* Borcholten *de acquir. poſſeſſ. c. 8. n. 57.* Giphanius *in l. 1. C. de appell.* Hunnius *ad Treutl. vol. 1. diſp. 12. q. 47.*

Hac igitur Martini ſententia retenta, ut certa ab incertis ſeparemus, primo ſtatuo, judicium poſſeſſorium adipiſcendæ poſſe cumulari cum petitorio, *l. 1. §. quia autem, ff. quod legat. l. 1. Cod. quorum bonor. cap. cum dilectus 6. hoc tit.* Menochius *de adipiſc. remed. 4. num. 5. 17.* niſi electione petitorii poſſeſſorium extinguatur, ut *in l. ultim. Cod. de codicil.* ubi qui ex teſtamento hereditatem ad ſe pertinentem petierat, non poteſt poſtea ex eadem ſcriptura quaſi codicillis petere ſe mitti in poſſeſſionem bonorum ex remedio legis ultimæ, *cod. de edict. D. Hadriani*; idque non ex ratione adducta a Bartolo *in d. §. nihil commune*, quam defendere conatur Coraſius *in eod. §. 2. p. num. 84.* nempe quod electione petitorii ſublatum fuit poſſeſſorium adipiſcendæ; quam recte improbant, & refellunt Rubeus *in d. §. nihil commune, num. 269.* Menochius *de recuper. remed. 4. num. 510.* ſed potius ratione repugnantiæ, & incompatibilitatis, quæ reſultat ex eo, quod quis ex eadem ſcriptura hereditatem teſtamento petat, poſteaque mutato conſilio petat ſe mitti in poſſeſſionem, quaſi vocatus ad fideicommiſſum, codicillis ab inteſtato factis, juxta textum *in l. ab inteſtato, dig. de jure codicil.* quod ſucceſſionis genus repugnat teſtamentariæ, ex regula legis *quamdiu, dig. de acquir. heredit.* docent Menochius *ſupra, num. 512.* Gilkenius *in l. edita, num. 282. Cod. de edendo*, Joan. Garcia *in tract. de nobilit. gloſ. 11. numer. 12.* Donellus *lib. 7. comm. cap. 18.* Idem ſtatuendum eſt in cumulatione judicii poſſeſſorii recuperandæ cum petitorio; utrumque enim poteſt cumulari, ſi adhuc in cauſa non ſit concluſum, *l. cum fundum 18. §. fin. ff. de vi, & vi, cap. paſtoralis, hoc tit. Clement. unic. eod. tit.* docent Cujacius *lib. 26. qq. Papin. in d. §. final.* Gilkenius *in d. l. edita, num. 293.* Menochius *de recuper. remed. 1. num. 113.* Garcia *de nobilit. gloſſ. 11. num. 18.* quod tamen ita accipiendum eſt, ſi prius actum fuerit de poſſeſſione, quam de illata violentia, juxta legem 1. *Cod. de appell. l. ſi quis ad ſe fundum 7.* ubi Gloſſa *verbo Violentia, C. ad leg. Jul. de vi*; nam cum violenta poſſeſſio poſſeſſorem non exoneret onere probandi, *l. vis ejus 15. Cod. de probat.* neceſſarium eſt, ut qui cumulationem proponit, ad hoc ut in cauſa procedere poſſit, poſſeſſionem in continenti probet, aut ſuſpenſo petitorio de poſſeſſione diſceptetur, ut quis poſſeſſor ſit, inde conſtet, & quis poſſeſſoris, quis vero rei partibus fungatur, ut ſic finem petitorium accipiat, argumento textus *in l. liberis 7. §. final. ff. de liber. cauſa*. Nec tunc obſtat textus *in l. ſi de vi 37. ff. de judiciis*, ubi probatur, recuperandæ poſſeſſionis interdictum non poſſe cumulari cum judicio petitorio: imo ante utrumque de vi cognoſcendum eſſe. Nam omiſſo Cujacio *lib. 5. obſerv. cap. 15.* dum ſupradicta jura eſſe correcta affirmat per novas conſtitutiones dictæ legis 1. *Cod. de appell. d. l. ſi quis ad ſe fundum*, dicendum eſt, verum eſſe, prius fore de poſſeſſione, quam de violentia illata cognoſcendum, cum non poſſit conſtare, an vis fuerit illata, niſi prius conſtiterit, quiſnam ex litigatoribus antea poſſidebat. Neque contrarium probat textus *in d. l. ſi de vi*, cujus verus ſenſus petendus eſt *ex l. qui cœtu 15. §. 1. ff. ad leg. Jul. de vi public. juncta d. l. 1. Cod. de appell.* nam in illis juribus non tractatur de vi, & poſſeſſione, ſed de vi, & proprietate, ſeu poſſeſſione, cum commemoratione vis, ut conſtat *ex d. leg. ſi de vi*, illic: *Prius cognoſcendum de vi, quam de proprietate rei*. Ubi verbum poſſeſſionis in principio appoſitum ibi, *ſi de vi, & poſſeſſione*, accipiendum eſt de proprietate, ex regula legis *interdum 73. ff. de V. S.* igitur ſi de vi, & poſſeſſione, vel proprietate agatur, prius quidem cognoſcendum eſt, ex D. Adriani reſcripto de poſſeſſione, *in d. l. ſi de vi 37.* quod & decretum eſt *in d. l. qui cœtu*. Et licet contrarium reſcripſiſſet Severus *in d. l. 1. Cod. de appell.* tandem res plenius definita eſt a Conſtantino *in d. l. ſi quis ad ſe 7.* cujus principium extat *in l. 3. Cod. ad leg. Jul. de vi, in Theod.* ſecundum quam prius civiliter, quam de vi criminaliter agendum eſt: docent, & proſequuntur exceptionem dictæ legis *ſi de vi*, poſt Barboſam *ibi, ex num. 34.* & Menochium *de recuper. remed. 1. num. 354.* Merillus *lib. 2. obſerv. cap. 6.* Fornerius *lib. 2. rerum quotid. cap. 20.*

In remediis retinendæ poſſeſſionis cumulatio non admittitur utriuſque judicii, in rebus corporalibus, *cap. paſtoralis, hoc tit.* Ratio provenit ex repugnantia, quæ reperitur in eo, ut actor rei vindicatione proponat, in qua adverſarium poſſeſſorem eſſe fatetur, *l. officium, ff. de R. V.* jam notavimus *in cap. expoſita, de judiciis*; & inſuper proponendo interdictum *uti poſſidetis*, ſe poſſeſſorem eſſe dicit, quod admittendum non eſt: illo ſane caſu poterit concurſus admitti, ſi poſt actionem realem judicio incluſam, ejuſdem rei in judicium deductæ actor poſſeſſionem acquirat, vel a ſervo, vel a filio acquiſitam cognoſcat; tunc enim ſuſpenſo petitorio, poterit de poſſeſſione contendere, ut exinde appareat, quis in judicio petitorio rei perſonam ſuſtineat, argumento textus *in leg. ordinarii 13. Cod. de R. V.* docent Menochius *de retin. remed. 3. num. 526.* Gilkenius *in d. l. edita, numer. 309.* Signanter dixi, in rebus corporalibus cumulationem utriuſque judicii non dari; diverſum enim affirmandum eſt in incorporalibus, veluti

14 *Cumulatur petitorium cum poſſeſſorio adipiſcendæ.*

15 *De cumulatione in poſſeſſorio retinendæ.*

veluti ſi quis experiatur de jure ſervitutis perſonalis, aut realis, actione confeſſoria, vel negatoria, *l. 2. ff. ſi ſervitus vindic.* cui & interdicta poſſeſſoria ratione quaſi poſſeſſionis conceduntur, *l. quoties 26. in fine, ff. de ſervit.* textus ab ſpecie interdicti retinendæ *in l. ſicut 8. §. Ariſto, ff. ſi ſervitus vindicetur*. Poterit ergo interdictum poſſeſſorium cum judicio petitorio ante concluſionem in cauſa actor cumulare, non tantum ſi rem fructuariam, aliamve ſervitutem non poſſideat, verum etiam ſi poſſideat, *l. fructuario 5. §. final. ff. ſi uſusfruct. petat. leg. & ſi 6. §. ſciendum, ff. ſi ſervitus vindic.* Aliter quam in actionibus in rem, quæ pro rebus corporalibus competunt, in quibus nunquam actio in rem ultro poſſidenti accommodatur, *leg. 1. §. interdictum 6. ff. uti poſſidetis*. Cujus rei ratio provenit ex ipſarum rerum conditione; etenim res corporales cum tenentur, taliter poſſidentur, ut quando id contingit, ab alio teneri non poſſint, *leg. 3. §. ex contrario, ff. de acquir. poſſeſſ.* Ex qua ratione Ulpianus *in d. §. interdictum*, actionem poſſidenti non dari docet, quia ſufficit ei, quod poſſideat; at actione confeſſoria uſusfructus, & reliquæ ſervitutes petuntur, quarum poſſeſſio natura nulla eſt, nec traditio, ſed quaſi poſſeſſio, quæ in uſu conſiſtit, ut probatur *ex leg. ſi ego 13. §. 1. ff. de public.* & colligitur ex ratione textus *in l. ſi prius 15. dig. de novi operis nunc.* Unde cum hic uſus etiam ab aliis poſſit & prohiberi, & uſurpari, ne ſervitute ſua qui in poſſeſſione eſt, utatur, non ſatis videretur proſpectum, niſi & poſſidenti prædicta actio concederetur: quod quidem in rebus corporalibus non contingit, eas namque poſſeſſor in ſua poteſtate retinet, nec eſt aliquis adverſus quem probato dominio, in poſterum ſecurus remaneat: ergo cum hoc caſu repugnantia ceſſet, neque impedimento ſit, quominus vindicans ſe poſſeſſorem fateatur, non eſt quod poſſit cumulationem impedire: docent Menochius *de retin. remed. 3. n. 420.* Duarenus *in d. l. ſi prius*, Donellus *l. 10. comment. c. 12. verſ. proprium*, & *l. 11. cap. 15. verſ. Domino competit*, Faber *l. 20. conject. c. 13.*

16 *Explicatur c. paſtoralis, hoc titulo.* Igitur in prædictis caſibus, ubi cumulatio admittitur utriuſque judicii, petitorii & poſſeſſoris, poteſt actor a principio cumulare utrumque, *cap. cum Eccleſia, hoc tit.* Bartolus *in d. §. nihil commune, num. 22.* Menochius *de retin. remed. 3. n. 53.* Nec contrarium probat textus *in cap. paſtoralis, hoc tit.* dum in ipſo ſupponitur, actorem fuiſſe interrogatum, quo malebat judicio experiri, ſcilicet poſſeſſorio, an petitorio; quaſi non poſſit utrumque eodem libello comprehendere. Quia reſpondetur, interrogationem illam factam fuiſſe, quia ex libelli tenore non conſtabat, quod judicium actor intenderet, quia incertus, & generalis libellus erat, qui poterat referri ad ſolam proprietatem, ſolam poſſeſſionem, vel utramque; & cum ſuper incertis non poſſit judex proferre ſententiam, merito interrogatur actor, quo vult judicio experiri, ut docent Abbas ibi, *num. 3.* Menochius *de retin. remed. 3. nu. 232.* alias enim ſi conſtaret, actorem utroque remedio experiri velle, abſque ulla interrogatione judicium procederet, ut *in cap. cum Eccleſia, hoc tit.* & aliis ſupra citatis. Nec ſolum a principio cumulatio admittitur, ita ut in utroque judicio procedatur; verum ex poſtfacto, ante concluſionem in cauſa, poteſt poſſeſſorium intendi, vel ut finiatur ſuſpenſo petitorio, *cap. ſignificaverunt, de teſtibus, Clement. unic. hoc tit.* qui ita accipiendi ſunt, junctis traditis a Covar. *l. 1. var. cap. 16.* Balboa *in cap. 2. de ordin. cognit.* Noguerol *alleg. 21. n. 234.* vel ut ſimul agatur de poſſeſſione & proprietate, *cap. cum dilectus, hoc tit.* poteſt enim utrumque judicium ita intendi, ut ſimul diſceptetur, & terminetur. Omitto caſus, in quibus poſſeſſorium ab uno ex litigatoribus, petitorium ab alio intenditur, quos examinavi *in cap. 1. & 2. de ordin. cognit.*

17 *Traditur ratio decidendi.* Quibus ita animadverſis apparet jam ratio præſentis concluſionis, poteſt enim cumulari judicium poſſeſſorium cum petitorio, quia hæc judicia inter ſe non ſunt contraria, ſed diverſa, imo intentato uno judicio, poteſt actor redire ad aliud, ex eadem ratione, ut docet Menochius *de recuper. remed. 15. num. 252.* Poſt concluſionem autem cauſæ hæc mutatio non admittitur, ne lites litibus implicentur, & ex eis jurgia oriantur, contra textum *in l. terminato, Cod. de fructib. & lit.* ubi Gloſſa *verbo Conſurgere, l. ſi quis 11. ff. de reb. creditis*. Cui rationi accedit, nam per concluſionem in cauſa litigatores juris, & facti allegationibus, & probationibus renunciaſſe videntur, *cap. cum veniſſent 25. verſ. omnes, de teſtibus, cap. cum dilectus 9. de fide inſtrum. Clement. 2. de teſtibus*: unde concluſio dicitur allegationum excluſio, & renuntiatio, ut probant *in l. admonendi, ff. de jurejur.* Paulus *n. 26.* Jaſon *n. 51.* Ripa *n. 48.* Curtius Junior *n. 13.* Covar. *pract. cap. 26. n. 2.* Menochius *de preſcript. lib. 2. caſu 63.* Igitur poſtea cumulatio non admittitur. Accedit etiam, nam ſi poſſeſſorii, & petitorii cumulatio in judicio admittitur, ut conſulatur laboribus, & expenſis litigantium, ſi poſt concluſionem in cauſa poſſit de novo judicium mutari, potius protraherentur lites, & expenſis vexarentur litigatores; unde licet ante concluſionem cumulatio admittatur, poſt concluſionem tamen prohibetur, ut latius proſequitur Balboa *in dict. cap. paſtoralis*.

18 *Reſpondetur difficultatibus.* Nec obſtant difficultates ſupra pro dubitandi ratione expenſæ. Non prima, pro cujus ſolutione ſciendum eſt, noſtrum Innocentium III. amplexum fuiſſe ſententiam Martini, aſſerentis cumulationem utriuſque judicii, tam poſſeſſorii, quam petitorii, admitti in judicio. Nec tunc obſtat actiones iſtas inter ſe contrarias eſſe, nam nullo modo ſunt contrariæ, ſed diverſæ; quia una tendit ad dominium, alia reſpicit poſſeſſionem; ita enim conjunguntur & proponuntur: *Tu non poſſides, ſed ego; & ut tu poſſideas, rem meam eſſe ajo*: ut refert Cujacius *lib. 25. obſ. c. 34.* ſicut non ſunt contrariæ defenſiones ita a reo oppoſitæ: *Nihil debeo, & ut debeam, pacto mihi debitum remiſiſti*; ut probat D. Joſephus de Retes *to. 2. opuſc. lib. 7. cap. 3.* Igitur cum iſtæ actiones non ſint inter ſe contrariæ, recte cumulari poſſunt, juxta tradita. Nec in hac parte jus Pontificium diſſentit a Cæſareo, ut volebat Vinnius *lib. 2. ſelect. c. 39.* Nec obſtat ſecunda difficultas deducta ex authentica *qui ſemel, Cod. quomodo, & quando*. Nam ut dixi *in c. exhibita, de judiciis*, licitum eſt actori mutare actionem, non ſolum uſque ad litis conteſtationem, verum etiam uſque ad concluſionem. Neque Juſtinianus in eo textu aliud ſtatuit, ſed tantum neceſſitatem injungit actori, ut liti inſtitutæ finem imponat, ne fallacibus induciis reum illudat: non autem illi prohibet actionem mutare, & eam proſequi, aut cumulare cum alia propoſita, dummodo ad finem perducat. Nec tertia difficultas refragatur; nam ut ſupra notavi *in c. 1. hoc tit.* licet jure civili debeat prius cauſa poſſeſſoria finiri & decidi, & mox proprietatis cauſa; tamen jure canonico contrarium obſervatur, videlicet ut una ſententia poſſit, imo debeat utrumque judicium terminari, *ex c. cum dilectus, hoc tit.* Neque inutilis, aut inanis hæc ſententia erit; nam ſi obtineat actor in poſſeſſorio, & petitorio, conſequitur commodum poſſeſſionis, & jus dominii: ſi autem obtineat in petitorio, ſuccumbat autem in poſſeſſorio, non cogitur reſtituere rem ipſam reo, ut exiſtimavit Vinnius *ubi ſupra*; ſed tantum declaratur, ipſum fuiſſe in poſſeſſione, & juſte percepiſſe fructus poſſeſſionis; attamen poſt ipſam ſententiam, qua dominium rei adjudicatur actori, reus privatur poſſeſſione, quia cum habeat notorium defectum tituli, in ea poteſt conſervari. Operatur ergo ſententia ſuper poſſeſſorio lata plurimum quoad fructus, & expenſas temporis præteriti, ut ex pluribus docet Fermoſinus *in cap. 3. hoc titul. qu. 1. n. 14.* ſuper petitorio vero pronuntiata, quoad præſens, & futurum tempus; unde inanis, aut ridicula non erit hæc ſententia, ut exiſtimavit Vinnius *ubi ſupra*.

C A P U T VII.

Idem a *Veronenſi Epiſcopo*.

CUm olim quæſtio, quæ inter Archidiaconum ex una parte, & Archipresbyterum, & Canonicos *b* Vicentinæ Eccleſiæ, ex altera. *Et infra*: Quoniam per atteſtationes nobis conſtitit evidenter, quod ab Epiſcopis Vicent. Archidiaconatus ipſe ſine reclamatione aliqua Canonicorum *c* duobus Archid. continue (qui ante ipſum extiterant) fuerat aſſignatus: quia Canonici prædicti judices *d* recuſare minime debuerunt, cum cauſa prædictis judicibus fuiſſet delegata: de utriuſque partis procuratorum aſſenſu prædictum Archidiaconatum eidem per definitivam ſententiam adjudicare curavimus, Canonicis Vicent. perpetuum ſilentium imponentes. Reſervata tamen eis quæſtione proprietatis ſuper collatione Archidiaconatus ipſius, ſi forte ſuper hoc contendere voluerint adverſus Epiſcopum Vicent. cum res inter alios *e* acta non debeat eis præjudicium generare.

N O T Æ.

1 a VEronenſi.) Verona urbs Italiæ clariſſima, ab Etruſcis originem habuit, collibus proxima, qui ſpectant ad meridiem: fere in planitie forma quadrata ſita eſt, cujus amplitudinem, & originem late deſcripſit Torellus Sarrayna, poſt cujus ſcripta, quæ referuntur in Italia illuſtrata, ita cecinit Hier. Avantius.

Mihi ſuccinere liceat,
Verona, qui non viderit
Te, ſed Torellum legerit;
Ad te volabit geſtiens
Tantas videre gratias.

Hujus Eccleſiæ Epiſcopo miſſa eſt præſens epiſtola, cujus integram adhuc aſſequi non potui, ſpeciem autem referam, & aliqua ex parte litteram reſtituam *ex cap. 1. de offic. deleg. in 4. collect.* Inter Canonicos Eccleſiæ Vicentinæ, & Archidiaconum, cui nuper Epiſcopus Archidiaconatum contulerat, lis vertebatur: Canonici agebant interdicto poſſeſſorio, tamquam turbati poſſeſſione, quam habebant nominandi Archidiaconum: ipſe Archidiaconus aſſerebat jam duos Archidiaconos Epiſcopum pacifice creaſſe, itaque non Capitulum, ſed Epiſcopum fuiſſe in poſſeſſione eligendi: lis diſceptata fuit coram Innocentio III. qui cauſam certis judicibus commiſit terminandam, ex conſenſu partium electis, qui pronuntiarunt in judicio poſſeſſorio contra Canonicos: Innoc. III. coram

eum ſententiam confirmavit, reſervata ſibi quæſtione proprietatis ſuper collatione prædictæ dignitatis.

b *Vicentino.*) De Eccleſia Vicentina plura notavi *in c. intelleximus, de judiciis.*

c *Duobus.*) Imo ad conſtituendam, & acquirendam quaſi poſſeſſionem juris eligendi ſufficit una electio, præſentatio, ſeu proviſio realis facta cum bona fide, & quæ ſortita fuerit effectum; ita ut proviſus ejus virtute nactus ſit poſſeſſionem, *c. Abbate* 25. ibi: *Cum quadam vice Guarinum Alciatenſem Monachum elegiſſent*: juncta Gloſſa ibi, *de V. S. cap. cum de beneficio*, ubi Gloſſa *verbo Ab uno, de prebend. in 6.* faciunt textus *in l. 1. §. quod autem*, & *§. Ariſto, ff. de aqua quotid. leg. 1. §. Julianus, ff. de itin. actuque, l. final. ff. quemadmodum ſervit.* docent Gloſſa *verbo Brevitatem, in cap. cum Eccleſia, hoc tit.* Covar. *in regula poſſeſſor, 2. p. in princip. n. 6.* Gonzalez *ad reg. 8. gloſſ. 45. §. 2. n. 19.* Lambertinus *de jure patron. l. 2. par. 1. q. 3. in princip. art. 11.* probavi *in c. querelam 24. de elect.* Igitur in præſenti duo actus neceſſarii non erant. Agnoverunt difficultatem Gloſſa in præſenti, & Panorm. *n. 5.* qui affirmant, in his verbis contineri partis allegationem, non autem Pontificis deciſionem, cum Innocentius duos actus continuos non peteret. Sed hæc ſolutio refellitur ex verbis ipſius textus, ex quibus conſtat, Innocentium ideo adjudicaſſe dignitatem Archidiacono, quia probavit Epiſcopum eam contuliſſe duobus Archidiaconis proxime anteceſſoribus, ſine Canonicorum contradictione. Unde his verbis potius continetur ratio deciſionis, quam facti narratio: quare hac ſententia omiſſa, verius dicendum eſt, intentionem Epiſcopi Vicentini, qui contulerat Archidiaconatum, fuiſſe deſtitutam juris præſumptione; ſiquidem inſpecto jure communi, dignitatum collatio non ſpectat ad ipſum Epiſcopum tantum, ut ipſe contendebat; ſed ſimul ad Canonicos, *cap. cum Eccleſia* 31. juncta gloſſa *verbo Poſtulavit, de electione, cap. fin.* ubi Gloſſa *verbo Communiter, de ſuppl. neglig. cap. irrefragabili* 13. juncta Gloſſa *verbo Capitulum, de offic. Ordin. c. poſtulaſti, de conceſſ. preb. c. ea noſcitur, de his quæ fiunt a Prel. cap. ſi a collatione, de appell. in 6.* docent Garcia *de ben. 5. p. c. 4. n. 11.* Gonzalez *ad regul. 8. gloſſ. 45. n. 35.* Lotherius *de re benef. l. 2. c. 21. n. 8.* Barboſa *voto 95. a nu. 1.* ac proinde cum Epiſcopus niteretur poſſeſſione a jure communi exorbitante, debebat Archidiaconus oſtendere non nudam poſſeſſionem, ſed confirmatam duobus actibus, ut ita Epiſcopus non malæ, ſed bonæ fidei poſſeſſor crederetur, & in ea poſſeſſione conſervaretur.

3 d *Recuſare.*) Judices enim ex partium conſenſu electi recuſari nequeunt, *c. inſinuatione 25. c. ſuper 27. §. verum, c. cum olim 33. de offic. deleg. cap. ſi autem* 39. ubi Gloſſa *verbo Tertio, 2. qu. 6. c. induciæ 3. §. offeratur 3. queſt. 3.* & recte; nam cum eos partes approbaverint, non poſſunt eos ſine nova cauſa poſtea reprobare *c. per tuas, de probat. c. horrendi 3. 2. qu. 5. c. nulli, de electione, l. 6.* regula *Quod ſemel; de R. I. in 6. l. Pomponius, ff. de negot. geſtis*: ut procedit etiam in teſte a parte producto, *l. ſi quis teſtibus, Cod. de teſtibus, lege 31. tit. 16. part. 3.* Poteſt tamen appellari a ſententia prolata ab his judicibus ex conſenſu partium ſuſceptis, *c. cauſam*, ubi plura Balboa, *de re judic. cap. cum olim, diſt. cap. inſinuante, d. c. ſuper, §. verum, de offic. delegat.* Cujus diſcriminis ratio ex eo provenit, quia partes per hujuſmodi conſenſum approbarunt perſonas judicum, quos noverant, itaut niſi ex nova cauſa non poſſint eas recuſare: non autem conſenſerunt in ſententiam, quam ferendam ignorabant; unde non eſt impeditum, quominus ab ea appellari poſſit, ut contingebat in judicibus a Prætore ex conſenſu partium datis, *l. ex conſenſu, ff. de appellat.* Maranta *de ord. jud. 6. p. c. de appell. a ſentent. n. 145.* Nec tunc obſtat textus *in c. a judicibus, c. ſane 2. qu. 6.* quorum interpretationem adduxi *in cap. 2. de arbit.*

4 e *Cum res inter alios.*) Sed hæc ratio aliena videtur a præſenti deciſione, nam in præſenti caſu inter Canonicos, & Archidiaconum, cui Epiſcopus contulerat dignitatem, non fuit actum de proprietate juris conferendi ipſam, ſed de poſſeſſione dumtaxat, utrum videlicet Canonici eſſent in poſſeſſione eligendi, vel Epiſcopus: ergo hæc ratio non poteſt adaptari ad caſum proprietatis, ſed ad caſum poſſeſſionis. Cui difficultati reſpondendum eſt, Innocentium noſtrum in præſenti prædictam generalem rationem attuliſſe, non tantum in proprietatis, ſed in poſſeſſionis cauſa: & quamvis Innoc. III. non reſervaverit cauſam poſſeſſionis Canonicis cum Epiſcopo diſceptandam, cum quo lis non fuit agitata, ſed ſolum proprietatis cauſa; id ex eo ſtatuit, quod conſtiterat ipſiſmet Canonicis litigantibus, quaſi poſſeſſionem conferendi Archidiaconatum eſſe penes Epiſcopum, ex eo quod bis eam dignitatem contulerat; & ideo cum ex actis conſtaret, nullum jus habuiſſe Canonicos quoad poſſeſſionem, recte reſcripſit Innocentius, ſalvam eiſdem manere cauſam proprietatis, non tamen ex eo negatur jus agendi interdicto reſtitutorio, ſi voluerint allegare, & probare contra Epiſcopum, ſe ſpoliatos fuiſſe poſſeſſione conferendi Archidiaconatum. Et ea ratione ſubdit Innoc. III. ſententiam in ea lite, quæ tractabatur inter eos, qui contendebant ſe habere jus conferendi, & illum, cui contulerat Epiſcopus, latam ex eo, quia Canonici non erant in poſſeſſione conferendi, cum inter alios dicta eſſet, non nocere, quominus ſuper proprietate juris conferendi agerent adverſus Epiſcopum, ſi velint jus ſuum deducere in judicium, ut docent Abbas hic, *n. 16.* Covar. *pract. c. 14. q. 2.*

Ex hoc textu communiter deducitur, beneficium illi eſſe adjudicandum, qui probavit collatorem fuiſſe in poſſeſſione conferendi tempore ſuæ collationis: quam doctrinam late examinavi *in cap. querelam 24. de elect.*

CAPUT FINALE.

Honorius III. *Abbati Sancti* a *Cypriani* b *Torcel. diœc. & S. Mariæ* c *de Venetiis, & S. Mariæ Anan. Pap. Prioribus.*

IN cauſa, quæ inter ven. f. n. Patriarcham *d* Graden. & Epiſcopum Caſtellan. ex parte una; & Abbatem, & Conventum *e* S. Georgii de Venetiis, ſuper ſubjectione ipſius Monaſterii, ex altera vertebatur, invenimus pro Patriarcha probatum, quod recipiebatur in ipſo Monaſterio *f* proceſſionaliter cum *g* incenſo, *h* aqua benedicta, & *i* icona: & quando revertebatur a Gradu, pulſabantur *j* ibi Campanæ, ſicut in aliis Eccleſiis Civitatis, & quod dictus Abbas ivit quandoque ad Synodum Patriarchæ, quinquaginta ſolidorum Venetorum numerum ei per *k* plures annos exſolvens. Probatum vero pro Epiſcopo invenimus, quod ejuſdem Monaſterii *l* confirmavit Abbates, cui reverentiam, & obedientiam impendebant. Abbates etiam ejuſdem Monaſterii ad Synodos veniebant Epiſcopi, & itidem ad exequias invitatus recipiebatur proceſſionaliter cum ſolemnitate prædicta, ac ſimiliter invitatus in feſto B. Georgii procurationem recipiebat, ibidemque eum *m* in barca ſua in feſto Purificationis B. M. Virginis conducebant. Cum autem primo in poſſeſſorio *n* egerint Patriarcha, & Epiſcopus memorati, nos eos ad poſſeſſionem, vel quaſi reſtituimus prædictorum. Verum quia hinc inde petitorio nihilominus actum fuit, & utraque pars totum jus ſuum videtur in judicium deduxiſſe. Nos viſis prædeceſſorum noſtrorum privilegiis, Monaſterium ipſum de f. n. conſilio liberum eſſe decernimus, & immediate ad Romanam Eccleſiam pertinere, illud in præmiſſis, & aliis, quæ juriſdictionem, & ſubjectionem reſpiciunt, ab impetitione dictorum Patriarchæ, & Epiſcopi abſolventes, non obſtante poſſeſſione circa prædicta probata, cum non docuerint ſe tanto *o* tempore talia percepiſſe, quod pro hoc fuerit libertatis privilegiis derogatum; reſervamus Epiſcopo ſupradicto, quæ ſibi circa chriſma, oleum ſacrum, ordinationes Clericorum, & quædam alia in eiſdem privilegiis ſpecialiter reſervantur: ad hæc cum de præmiſſis quinquaginta ſolidis ad ſubjectionis indicium a Patriarcha ſit actum, per ſententiam hujuſmodi ei non adimimus, ſi alio jure de ipſis experiri voluerit, poteſtatem.

NOTÆ.

1 a SAncti *Cypriani.*) De Maurano, Ordinis Camaldulenſis; ita reſtitui inſcriptionem, & textum ex quinta compilatione, ubi *ſub hoc tit. c. unico*, textus hic reperitur.

b *Torcel.*) Inſula, eſt non procul a Venetiis, quo tranſlata fuit Cathedra Epiſcopalis ab Altino antiqua urbe, cujus Epiſcopus Agnellus ſubſcripſit Concilio Romano ſub Felice celebrato.

c *S. Mariæ Novæ.*) Hæc Eccleſia conſtructa eſt in tertia regione Venetiarum, vulgo dicta *de Canarejo*.

d *Graden. & Epiſcopum Caſtellanum.*) De his Eccleſiis egi *in c. ex litteris 21. de offic. del.*

2 e *S. Georgii.*) Monaſterium S. Georgii eſt Ordinis D. Benedicti, in inſula prope Venetiam, & juxta Palatium Ducum, ubi Eccleſiam antiquam donavit Dux Tribunus Memus Joanni Mauroceno, ut Monachos D. Benedicti ibi conſtitueret: fuit hoc Monaſterium a ſuo exordio immediate ſubjectum Romano Pontifici, ut ex quodam Codice MS. Abbatiarum Cameralium, in illis verbis; ,, Georgii Majoris de Venetiis, Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Caſtellanenſis florenos ſeptingentos; ,, probat Yepes *t. 4. Chron. D. Bened. anno 983. cap. 5.*

3 f *Proceſſionaliter.*) Occurſus, ſeu ſuſceptio cum proceſſione, honorem denotat, licet ſubjectionis ſuſpicionem ingerat. Principibus, & Regibus hic honos plerumque impenditur; Codinus de offic. Conſtantin. c. 14. ,, Egreditur Protopapa ex Eccleſia cum Archidiacono, & Lectoribus quibuſdam, traditque Imperatori lampades. ,, De Germaniæ Imperatoribus idem legimus apud Ditmarum *l. 2. hiſt.* ibi: ,, Namque ſolebat in ſolemnitatibus univerſis ad Veſperam, & ad Matutinum, atque ad Miſſam cum proceſſione Epiſcoporum venerabili deinde ceterorum ordine Clericorum cum crucibus, Sanctorumque reliquiis, & thuribulis ad Eccleſiam uſque deduci. ,, Philippum Auguſtum ex ſacra expeditione regredientem Pariſios ſolemniter a Clero, & Populo cum proceſſione receptum fuiſſe, teſtis eſt Florilegus *anno* 1192. & Totilæ Gothorum Regi, expugnata urbe templum D. Petri orationis gratia properanti, occurriſſe Pelagium Pontificem, refert Procopius *l. 3. de bello Gothor.* & aliquando Duces, & Comites proceſſionis honorem a Clericis, & Monachis exegiſſe, referunt Greg. Turon. *l. 10. hiſt. cap. 9.* Fulbertus *ep. 21.* ibi: *Die proxima Comes Theobaldus reddit ſe in Monaſterium: recipi cum proceſſione præmandat.* Præcipue tamen honos iſte Epiſcopis impenſus fuit, tam a Clericis, Aug. *ep.* 203. quam a Monachis. Ekkeardus Junior de caſibus Monaſt. S. Galli, cap. 1. ,, Ad recipiendum enim Epiſcopum cum Evangelio, etiamſi frater conſcriptus non fuerit, æquum eſſe, ut pariter occurrant omnes. *Matthæus pariſ. an.* 1162. ,, Eodem anno Clarembaldus S. Auguſtini electus, benedictionem a Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo accipere quærebat, ſed in ſua Eccleſia, & ſine proceſſione, ut ſuſpicio ſubjectionis in poſterum prorſus adempta eſſet. ,, Innoc. *l. 3. ep. 11.* Unde proceſſionis obſequium inter jura Epiſcopalia plerumque Epiſcopi a Monachis vindicarunt, hoc argumento ſuam juriſdictionem in Monachos probantes, ut Vvigornienſis *in c. auditis, de ſcrip.* Londonienſis apud Matthæum Pariſ. ubi ſupra, anno 1211. ,, London. Epiſcopus petiit ab Abbate Guillelmo, & Conventu Vueſt-Monaſterii proceſſionem, procurationem, & omnimodam juriſdictionem, propter quæ ad Papam fuit appellatum. ,, Plura adducunt Boſquetus *ad Innoc. l. 4. ep. 11.* Alteſerra *de Ducibus, cap. 17.* Franc. Florens *in c. auditis, de praſcr.* Chriſtineus Lupus *in can. 14. Synodi 8. Conſtant.* Unde in præſenti Epiſcopus expoſcebat in ſignum ſubjectionis proceſſionaliter recipi a Monachis.

4 g *Cum incenſo.*) Thus Sacrificiorum omnium condimentum, nonniſi altaribus adolendum jubet Canon 4. Apoſt. vixque ſine thuris ſuffitu fiebant olim publicæ preces, tum ad incitandum Populum ad orationem, juxta illud Apocalyp. *c. 8. Incenſa ſunt orationes Sanctorum*: tum propter honorem. Unde olim incenſum dabatur Pontificibus, Sacerdotibus, & Principibus ſacra adeuntibus. Codinus *de offic. domus Conſtantin. c. 14. nu. 17. Circa veſperam abiit Imperator ad Sanctam Sophiam, audienſque veſpertinos hymnos, incenſatur a Patriarcha, omneſque ſimul aulici Proceres.* Et *n. 21. Patriarcha Imperatorem, deinde tradit thuribulum Archidiacono.* Ex veteri Rituali Romano probat Cironius *l. 2. obſ. cap. 6.* Unde etiam moris fuit in occurſu Epiſcoporum proceſſionaliter cum thuribulis, & cruce, Sanctiſque Evangeliis procedere. Gutherus in eo ritu:

—— Non eſt tractabile ſenſu,
Eloquioque meo, quæ gaudia, quantus ab urbe
Occurſus Populi, quo ſcilicet ordine caſtus
Antiſtes, illuſque ſuo cum Præſule Clerus
Veſtibus ornati nitidis, pretioſa ferentes.
Signa crucis, textuſque ſacros, thuriſque vaporem
Prodierunt.

5 h *Aqua benedicta.*) Qua utuntur omnes Chriſtiani in ingreſſu Eccleſiæ, ad expiationem & mundationem a peccatis, *c. aquam, de conſecr. d. 3.* plura de aquæ benedictæ uſu, & origine tradunt Marſil. *de aqua benedicta*, Jodocus Coccius *l. 5. theſauri, art. 8.* Carrier. *t. 2. ff. fidei, fol. 532.* alii laudati *in c. aqua, de conſec. Eccleſ.*

i *Et icona.*) Ideſt vexillum crucis; antiquus enim mos eſt Eccleſiæ, ut Legati Apoſtolici, & Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuis Eccleſiis cum crucis vexillo recipiantur, *c. 1. ut lite pend.* ubi latius illuſtravimus.

6 j *Pulſantur Campanæ.*) In receptione Epiſcoporum, & Abbatum pulſari Campanas, jam notavi *in c. auditis 29. de elect.* imo & in receptione Principis ſæcularis aliquando Campanas pulſari legimus apud Ditmarum *l. 2. hiſt.* ibi: *Interim Herimanus Dux Saxoniam regebat, poſitaque ad Magdeburgum concione, ſuſceptus eſt ab Archiepiſcopo, manuque deducitur ad Eccleſiam, accenſis luminaribus, cunctiſque ſonantibus Campanis*, &c. *Ob hoc Ceſar Auguſtus maxime ſuccenſus, Alberto per epiſtolam mandavit Epiſcopo, ut tot ſibi equos mitteret, quot Duci Campanas ſonare, vel quot lucernas accendi præceperat.*

k *Per plures annos.*) Quando ex ſolutione cenſus per aliquot annos inducatur jus, & poſſeſſio acquiratur illum exigendi in poſterum, exponit Caſtillo *de alimentis, c. 39.*

7 l *Confirmavit Abbates.*) Quæ confirmatio ſignum eſt ſubjectionis, *cap. 1.* ubi notavi, *de ſuppl. negl. cap. ne Dei, de ſimonia.*

8 m *Barcha.*) Pro ſchapha, ſeu gondola accipit Ciron. in præſ. nos vulgo hoc breve navigii vas, *barca* dicimus; Iſidor. *l. 19. etym. c. 1. Barca eſt, quæ cuncta navis commercia ad litus portat.* De navibus, & earum differentiis plura tradiderunt Lazarus Baif. *ad l. 2. ff. de captiv.* Mareſc. *l. 1. orb. marit.*

9 n *Poſſeſſorio egerint.*) Ex his verbis depromitur, hanc Honorii conſtitutionem recte compilatam eſſe ſub hoc titulo, cum in ea agatur tam in judicio poſſeſſorio, quam petitorio: ſed cum claſſici repetentes in præſenti integra hujus textus caruiſſent, non dubitarunt illum, tamquam fugitivum a rubro & titulo notare.

10 o *Tanto tempore.*) Quot tamen anni deſiderentur, ut privilegium amittatur per contrarium uſum, dicemus Deo annuente *in c. ſi de terra 6. de privil.*

COMMENTARIUM.

11 CUm inter Patriarcham Gradenſem, & Epiſcopum Caſtellanum ex una parte, & Monachos Monaſterii Sancti Georgii ex alia ſuper ſubjectione ipſius Monaſterii judicium poſſeſſorium intenderetur, ſubjectionem probabant Patriarcha, & Epiſcopus ex eo, quod venientes ipſi ad Monaſterium, honorifice reciperentur, proceſſionaliter cum cruce, incenſo, & aqua benedicta. Item Abbates venientes ad Synodum quinquaginta ſolidos Venetos ſolvebant, & invitati ad exequias defunctorum, honorifice excipiebantur, in feſtoque Purificationis B. Mariæ ad Monaſterium in barca vehebantur. Monachi vero contra allegabant, privilegiis Romanæ Eccleſiæ a lege, & juriſdictione diœceſana ſe eſſe exemptos, & immediate R. Pontifici parere. Quibus propoſitis coram Honorio III. & utroque judicio, tam poſſeſſorio, quam petitorio intentato, declaravit Monaſterium parere immediate Romanæ Eccleſiæ, nec privilegia Sedis Apoſt. illis conceſſa, temporis præſcriptione fuiſſe ſublata; circa penſionem autem quinquaginta ſolidorum a Monachis ſolutam adjecit, licere Patriarchæ iterum agere, & docere alio jure eam ſibi deberi, cum penſio non ſolum ex cauſa ſubjectionis, verum ex aliis quamplurimis ſolvi poſſit. Quæ declaratio valde juris principiis conſona eſt; nam inter alia requiſita, quæ exiguntur ut competat exceptio rei judicatæ, deſideratur ut eadem res, & ex eadem cauſa denuo petatur, *l. 4. l. cum de hoc 17. ff. de excep. rei jud.* ubi Juriſconſultus deſiderat eamdem actionis proximam cauſam, ideſt originem agendi; nam ſi forte rem petam ex una cauſa, & mox alia nova emerſerit, quæ mihi dominium tribuat, non datur exceptio rei judicatæ, ut eleganter conſiderat Ulpianus *in l. ſi mater 11. §. eamdem, l. ſicut 25. §. 1. ff. de except. rei jud. l. ſi ſervus 42. ff. de liber. cauſ.* Quapropter ſi a te petiero rem ſub conditione mihi legatam, & ratione pendentis conditionis abſolutus fueris, deinde medio tempore acquiſito dominio iterum eamdem a te petam, exceptio mihi non obeſt; nam in hoc caſu nova nunc cauſa acceſſit, juxta textum, cujus litteram ſic emendandam cenſeo, *in d. l. ſi mater, §. eamdem*, cum P. Barboſa *in l. non poteſt 25. n. 52. & 53. ff. de jud.* Illuſtrant Faber *lib. 12. conject. c. 13.* Donellus *l. 22. comment. c. 5.* Duarenus *in paraphraſi ad tit. de except. rei judic.* Cujacius *l. 5. obſerv. c. 7.* & *l. 11. c. 35.* P. Faber *l. 1. ſemeſtr. c. 1.* Langleus *l. 5. ſemeſtr. c. 2.* & nos latius dicemus *in cap. adverſario, de exc.* ubi quæ ad hunc textum ſpectant, invenies. Unde cum penſio quinquaginta ſolidorum poſſit deberi a Monachis Patriarchæ ex aliis cauſis, recte Honorius, licet liberum Monaſterium a lege diœceſana, & immediate Romanæ Eccleſiæ ſubjectum declaraſſet, adjecit, ut ſi alio jure Patriarcha intenderet prædictam penſionem ſibi deberi, non obſtaret illi exceptio rei judicatæ.

TITULUS XIII.

De reſtitutione ſpoliatorum.

CAPUT PRIMUM.

a Gregorius *Conſtantio Epiſcopo* b *Mediolan.*

LIcet multum fraternitatem veſtram ad ſervandam ſibi juſtitiam Philagrii portitoris præſentium flagellum cæcitatis invitet, verumtamen quia ad reſtauranda quæ ſibi præjudicialiter aſſerit detineri, per nos vos voluit fieri promptiores, præſentia ad vos ſcripta prævidimus dirigenda. Quæſtus autem eſt, campum cum vinea ſua ab Eccleſiæ veſtræ *c* hominibus irrationaliter occupatum. Quod ſi ita eſt, quamquam ante judicium poſſeſſio ei debuerat violenter ablata reſtitui; tamen quia pervenit communis filius Eventius Diaconus veſter, conſentiente præfato latore, conſtituit per quinque teſtes, partem Eccleſiæ veſtræ ſatisfacere poſſe, ejuſdem Eccleſiæ juris illum eſſe. Ideoque fraternitas veſtra prædictum Philagrium contra juſtitiam laborare non faciat, ſed modis, quibus potuerit, veritatem diligenter inquirat. Et ſi manifeſte, ſicut hic conſtituit, pro-